

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CLIII. Christus Parabolam De Nuptiis Filii Regis Et Veste Nuptiali.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

CAPUT CLIII.

CHRISTUS PARABOLAM DE NUPTIIS
FILII REGIS ET VESTE NUPTIALI

recitat. Matth. 22. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Parabolæ de vinea ingratu agricolis elocata subjungit Marcus cap. 12. v. 12. *Et relicto illo abierunt, videlicet Summi-Sacerdotes, Scribæ & Seniores, ut colligitur ex cap. 11. v. 27. abierunt autem, ut remotis arbitris invicem consultarent, quâ ratione liberum illum concionatorem, à quo vitia sua publicè argui iniquissimè ferebant, è medio tollerent, cognoverant enim, quod contra se parabolam de malis vineæ colonis malè perdendis dixerat, Matth. 21. v. 45. Marc. 12. v. 12. Luc. 20. v. 19. unde communi consilio mittunt ad ipsum Discipulos Pharisæorum & Herodianos, qui eum caperent in sermone, ut speciem & prætextum quandam haberent tradendi ipsum Principatui & potestati Præsidis, quæ historia apud Marcum & Lucam parabolæ de vinea ingratu agricolis elocata immediatè subjicitur, Marc. 12. v. 13. Luc. 20. v. 20. sed ex Matthæi descriptione manifestè apparet, Christum Sacerdotibus, Scribis, Senioribus & Pharisæis, priusquam abirent, & in locum Consistorii sive Synedrui secederent, proposuisse adhuc aliam parabolam de nuptiis Filii Regis, & veste nuptiali. Antequam enim memoret, Pharisæos ad Christum discipulos suos ablegasse cum quæstione, *An liceat censum dare Cæsari, nec ne?* præmittit: *Et respondens Jesus locutus est eis iterum in parabolis, dicens: Simile factum est regnum eorum homini Regi, qui fecit nuptias Filio suo. Ex quo intelligitur hanc parabolam in ferie Harmonicæ subjungendam parabolam de vinea ingratu agricolis elocata, & præmittendam historiam de quæstione census à discipulis Pharisæorum, & Herodianis Christo proposita. Marcus & Lucas recitationi hujus parabolæ superfederunt, quippe, quam accuratè cum omnibus circumstantiis à Matthæo descriptam viderant. Quidam statuunt, hanc parabolam eandem esse cum ea, quam Lucas cap. 14. v. 15. recitat de Homine parante cœnam magnam, & multos ad eam invitante, cum omnia ferè, quæ in parabolâ coagmentatione à Matthæo & Luca narrentur, sint similia: quæque videntur dissimilia, adeò sint levia, ut ab hac sententia neminem dimovere debeant, constat enim Evangelistas non solum in ejusdem parabolæ, sed etiam ejusdem historię enarratione nec omnia recitare, nec iisdem verbis, sed eadem sententiâ uti solere. In hac sententiâ fuisse Iræneum, colligitur ex eo, quod lib. 4. cap. 70. convivium hoc nuptiale modò prandium vocat, ut est apud Matthæum, modò cœnam, ut est apud Lucam. Sicut etiam Theophylactus in commentario hujus loci scribit: *Prandium hic vocat, quamvis alio loco cœnam dixerit. Non absurde cœnam, nam in novissimis temporibus perfecte apparuerunt ille nuptie, & ad vesperum, & ad finem seculi.***

Harm Tom. II, vel Gerhard. Contin. pars prim.

lorum. Prandium autem ed, quod & in prioribus seculis revelatum fuit mysterium, tametsi obscurius. Existimant igitur parabolam hanc suo loco & tempore à Luca ordinis observatore recitari, Matthæum verò in ea recitanda non secutum ordinem temporis, cum non fuerit illi propositum, Historiam, ut gesta erat, contexere, sed Christi doctrinam, dumtaxat exponere, unde ea, quæ similem habent significationem & doctrinam, eodem loco posuerit, & quia hæc parabola cum præcedente de vinea quandam cognationem habet, ideò statuunt, Matthæum eandem in hunc locum distulisse. Sed hæc Calvinii, Maldonati & aliorum opinio non congruit verbis Matthæi, quia recitationi hujus parabolæ præmittit: *Et respondens Jesus locutus est eis iterum, in parabolis, dicens.* Utique ergo post recitatam de vinea ingratu agricolis elocata parabolam, proposuit eis hanc ipsam de nuptiis regiis, quam proinde diversam esse à parabola de Cœna Magna, Luc. 14. v. 15. proposita, rectius statuit Augustinus lib. 2. de consens. Evangel. cap. 71. *Parabolam (inquit) istam de invitatis ad nuptias solus Matthæus narrat. Simile quiddam etiam Lucas commemorat, sed non est hoc, sicut & ordo ipse indicat, quamvis & illud nonnullam similitudinem gerat.* In eadem sententia est Gregorius, homil. 38. in Evangel. quamvis modestè addat, *non esse hæc de re odiosè contendendum, cum non cernat aliquem fidei articulum. Sunt, inquit, nonnulla, quæ sibi dissona videntur, quia hic prandium, illuc cœna memoratur; hic qui ad nuptias non dignis vestibus intravit, repulsus est, illic nullus, qui intrasse dicitur, repulsus esse perhibetur. Quæ ex re rectè colligitur, quod & hic per nuptias præfens Ecclesia, & illic per cœnam æternam, & ultimum convivium designatur, quia & hanc nonnulli exituri intrant, & ad illud quisquis semel intraverit, ulterius non exhibet.* Probamus autem hanc sententiam ex diversitate. 1. *Temporis.* Parabolam de cœna magna, proposuit Christus, cum adhuc in Peræa ageret, antequam ultimam suam profectionem in Judæam suscepisset, tribus mensibus, vel præter propter ante ultimum Pascha *συνάγωγος*; sed hanc de prandio nuptiali parabolam proposuit tribus diebus ante Pascha, cum morti jam vicinior esset. 2. *Loci.* Illam parabolam proposuit in convivio cujusdam Principis Pharisæorum, hanc verò in templo Hierosolymitano. 3. *Occasionis* utrobique Christo datæ. Parabolæ de cœna magna occasionem dedit quidam Pharisæus, dicens: *Beatus, qui manducat panem in regno Dei,* quasi dicat: nimis vulgaris & terrena profers de eligendo loco novissimo in convivio, de vocandis pauperibus, claudis & cæcis, ad convivium, deberes spiritualia & cœlestia de manducando pane in regno Dei proferre, cujus hypocritam Christus parabola illa taxare

Hh 3

taxare

taxare, & supinum vocationis ad convivium spirituale contentum ei exprobrare voluit. Sed huic de regis nuptiis parabola occasionem dederunt crudeles machinationes Sacerdotum, Scribarum & Seniorum, Christo probè cognita, quibus è medio ipsum tollere cogitabant, quas Christus ut in præcedentibus parabolis, ita quoque in hac ipsa in lucem producere voluit. Quia verò ex Evangelica Historia constat, Christum diversis locis; temporibus & occasionibus eandem doctrinam quandoque auditoribus suis proposuisse, ideo addimus 4. Diversitatem *materie*, sive contentorum. Apud Lucam, *homo, paterfamilias facit cœnam*; apud Matthæum, *Rex parat nuptiale prandium* Filio suo. Quanto igitur Rex dignior plebeis, quanto magnificentius est convivium regale, & quidem nuptiale, vulgari cœnâ; tanto quoque magis exaggeratur divina benignitas in hac parabola Matthæi, quod & prandium & cœnam nobis paraverit. Per prandium commodè intelligitur potissimum *militans* in his terris *Ecclesia*, in qua boni & mali congregantur; per cœnam verò *Ecclesia triumphans*, & gaudium vitæ æternæ principaliter intelligitur, illa enim instituetur in fine sæculi, post absolutum huius vitæ prandium, illam nullum subsequetur aliud convivium; ex illa nullus ejiciendus, quia nullus, nisi bonus ac dignus ad eam admittetur. Gregorius quidem hanc diversitatem sic conciliat, *quod cum ad horam nonam apud antiquos quotidie prandium fieret, ipsum quoque prandium vocatum fuerit cœna*. Sed incertum hoc est, cum ad sextam duntaxat horam prandium ipsos distulisse, notum sit ex versiculis vulgaribus:

*Sex hore tantum rebus tribuantur agendis,
Vivere post illas litera Christi monet:*

& certum est, prandium à cœna communiter fuisse distinctum. Ac si vel maximè huic dissimilitudini posset occurrere, tamen aliæ insuper occurrunt diversitates. In parabola Lucæ *unus servus* tribus distinctis vicibus mittitur invitatum ad cœnam convivas; in parabola Matthæi *et plures et alii servi* ablegantur. In illa invitati civilitate quadam nisi sese excusarunt. *Primus dixit, villam emi, necesse habeo exire et videre illam, rogo te, habe me excusatum. Alter dixit, iuga bovum quing, emi, et eo probare illa, rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit, uxorem duxi, et ideo non possum venire*. In hac verò simpliciter dicuntur invitati convivium nuptiale neglexisse, inque villam suam, & ad negotiationem suam abiisse. In illa servus convivas vocans non legitur malè mulctatus, sed potius honorificè dimissus, quamvis non potuerit obtinere, ut convivæ primum invitati venirent; in hac verò servi regii contumeliis & morte affecti dicuntur. In illa paterfamilias indignatus solâ exclusionis penâ invitatos venire recusantes afficit: *Nemo, inquit, virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*; in hac verò *mittit exercitus suos, perdit homicidas illos, et civitatem eorum succendit*. In illa servus alterâ vice ablegatus multis persuadet, ut ad cœnam veniant; in hac verò servi secundâ vice emissi contumelias reportant, quidam etiam vitam amittunt, tantum abest, ut invitationi ipsorum locus fuerit relictus. In illa servus dicit, *venisse quidem complures, interim tamen adhuc locum superesse*; hic verò nuptiæ discumbentibus

dicuntur impletæ. In illa de nullo fit mentio, qui comparuerit non indutus veste cœnatoria, in hac verò reprehenditur aliquis non indutus veste nuptiali, qui extra convivii locum in tenebrosissimum carcerem propterea detruditur. Accedit 5. diversitas scopi ac finis. Parabola cœnæ magnæ huic sibi propositum habet scopum, quod Judæis à Cœnâ Dominicâ, ad quam invitati fuerant, ob contentum ejus exclusis, Gentes ad illam sint vocandæ. Parabola nuptiarum regiarum duplicem habet scopum, ut subjectum epiphonema, sive *ἐπιφωτιστικὸν* ostendit, videlicet primò multos esse ad regnum cœlorum, sive consortium Ecclesiæ vocatos, *paucos vero venire*; secundò nec omnes, qui ad Ecclesiam veniunt, gaudiorum cœlestium participes fore, sed eos tantum, qui veste nuptiali fuerint ornati. Hac omnia evidenter ostendunt, utriusque quidam parabola quendam similitudinem invicem intercedere, interim tamen diversitatem non unam, sed multiplicem in utraque animadverti. Concinnò autem ordine hæc parabola de nuptiis filii Regis, (cui similis habetur in Midras Misle, Prov. 16, 11.) superiori de vinea ingratil agricolis elocata subjungitur, 1. Parabolam priorem Evangelistæ conclusuram his verbis, quod *Principes Sacerdotum, et Seniores qui siverint Christum interficere*, quod tantâ *κακουργία* contra ipsos parabolizaret. Christus igitur sanguinarias hæc cogitationes per hanc parabolam accusat, ostendens sese verum Prophetam ac Messiam *καρδιοκαταγνω* esse. Ipsi cogitabant Christum rapere ad perniciem & mortem, Christus verò cogitabat eos comprehendere ad salutem & vitam. Hieronym. in cap. 22. Matth. *Pharisæi intelligentes de se dici parabolam, quærebant Jesum tenere et occidere. Hanc eorum sciens Dominus voluntatem, nihilominus increpat sapientes, nec timore superatur, quò minus arguat peccatores*. Hanc connexionem gloria ordinaria statuit monstrari à Matthæo, quando dicit, *Christum eis respondisse*, id enim sic interpretatur, quod Christus sanguinariis ipsorum cogitationibus hanc parabolam opposuerit. 2. In præcedente parabola perstrinxerat colonorum impietatem & crudelitatem, quod non solum debitos Domino vineæ fructus denegent, sed etiam servos malè tractent, imò filium ejus occidere cogitent, unde comminatus ipsis fuerat, fore ut regnum Dei ab ipsis auferatur; ne autem cogitarent reliqui auditores, promiscuum scilicet vulgus, se esse extra omnem culpam, sibi que antistitum improbitatem frandi minimè fore, ideo subjungit hanc parabolam de Nuptiis Regiis, in qua ejusdem criminis, negligentia scilicet in acceptanda vocatione divina, & crudelitatis in tractandis Dei servis, universum Judæorum populum accusat, quod plerique ipsorum oblatam in Messia salutem repudient, ac terrena cœlestibus præferant, quidam etiam ingratitude crudelitatem in eade fervorum Dei conjungant. 3. In præcedente parabola Christus præcipuè exposuerat præmium sibi à Principibus Sacerdotum paratum, quod scilicet ipsum sint interfecuri, ut vineam sibi propriam facere possint; in hac exponit sortem Apostolorum, per quos post mortem suam, taurorum & altium mactatione significatam, Judæi denuò ad consortium Ecclesiæ erant vocandi, videlicet quod ipsos quoque è medio sint subla-

subla-

sublati, & crudeliter in eos non minus quam in Christum sevituri, ejusmodi enim hujus parabola commentarij subjungit Matth. 23. vers. 33. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes & Scribas, & ex illis quasdam occidetis & crucifigetis &c.* Euthymius in cap. 22. Matth. Parabola præcedens ea tractavit, quæ ad passionem usque contigerunt, hæc autem, quæ nunc proponitur, ea, quæ post crucem contigerunt, indicat. 4. In priore dixerat Dominus malos colonos male perdendos esse, hic ostendit, cum illis etiam populum ejusdem criminis consortem perdendum, quin & species ultionis exprimitur, videlicet, quod exercitu contra eos misso & incendio civitatis hoc effectui & executioni sit dandum. Illic prædixerat pœnam spiritualem, auferretur à vobis regnum DEI: hic addit etiam corporalem, Rex mittens exercitum perdidit homicidas istos, & civitatem eorum succendit. 5. In priore dixerat regnum DEI à Judæis ablatum dandum esse genti, quæ ferat fructus ejus; hic manifestius exponit, quenam sit illa gens, cui regnum sit dandum, videlicet quod sint miseri gentiles, circa exitus viarum oberrantes, hoc est, extra civitatem & politiam Israël constituti, qui Judæis erant abominationi, quos in locum suum vocandos sibi que surrogandos esse, non poterant persuaderi. 6. In præcedente parabola docuerat, quanta beneficia DEUS jam olim ab introductione in terram Canaan populo Israëlítico præstiterit, mittendo scilicet Prophetas, per quos de reddendis fructibus admoneretur; hic ostendit, quod nec post crudelem Messia occisionem ipsis benefacere cessaverit, sed per servos suos, videlicet Apostolos & viros Apostolicos ad nuptias Filii sui ipsos denuò vocaverit, condonationem immanis hujus delicti & regni cœlestis consortium offerendo, adeoque ad nuptias eos invitando, qui supplicia infernalìa hoc scelere erant promeriti. Interim tamen tacite innuit, hanc vocationem per Apostolos fore extremam, quam si repudiare perrexerint, excidium & exitium statim secuturum. 7. Cum in superiore parabola regnum DEI gentibus datum iri prædixerit, subjungit, non omnes, qui ex gentibus in regnum DEI & Ecclesiæ consortium cooptati fuerint, fore salvos, ne occasione præcedenti parabola de auferendo à Judæis sibiq; dando regno DEI cristas erigant, vel in studio bonorum operum remissiores sese præsentent, sed hypocrisin caveant, & de veste nuptiali veræ fidei sanctæque vitæ sibi comparanda maturè sint solliciti.

8. CHRISTUS in præcedente parabola denunciaverat populo Judaico iram DEI & pœnas justissimas propter contemptum verbi, sed ipsi obvertebant, sumus electus DEI populus, patrem habemus ABRAHAMUM & sanctos majores, cum quibus DEUS aeternum fœdus iniit Matth. 3. vers. 9. Johan. 8. vers. 39. ergo non est, quod metuemus à Deo nos repudiandos esse, electio Dei non excidit nec mutatur, sed finem suum consequitur Rom. 11. vers. 7. ergo si vel maxime Christum & Evangelium ejus repudiemus, tamen non poterimus abjici, hisce ipsorum cogitationibus occurrit Christus in hac parabola, & ostendit, electionem non esse cum vocatione in omnibus conjunctam. 9. Chryostomus homil. 70. in Matth. observat, Christum in hujus parabola cum præcedente connexionem resurrectionis suæ mysterium proponere voluisse. Resurrectio (inquit) in hac parabola aperte significatur, nam quoniam in superioribus de morte dictum est, post mortem modo nuptias & sponsum videmus. 10. Denique apud Prophetam Esaiam similitudo de nuptiis & vinea conjunguntur. Nam in cap. 4. sub finem prædicit, quod Dominus abstersurus sit sordes filiarum Sion vers. 4. hoc est, quod populum suum sordibus fœdaturum sit abluturus Ezech. 16. vers. 9. inque sponsæ dignitatem & pulchritudinem eum adducturus; quod sicut olim in deserto per columnam nubis & ignis eum deduxerat, ita nuptialibus facibus prælucentibus, & umbraculo, hoc est, velo (quod quatuor periculis supra novorum conjugum capita suspendebatur, Hebræis דִּבְרֵי dictum) obumbrante, in thalamum mysticum sive templum suam sponsam sit deducturus v. 5. & 6. postea in cap. 5. subjungit parabolam de vinea, (in qua præcedentem allegoriam continuat, idemque in ea exprimit, quod sponsus infideli sponsæ exprobrat Ezech. 16. v. 15. & Ose. 2. vers. 2. videlicet, quod sponsa adultera, donis cumulata plurimis à liberali sponso, pro insigni liberalitate insignem contumeliam retulerit, quam allegoriæ continuationem probat tum vocabulum דִּילֵתִי, bis in principio capituli quinti repetitum vulgare sponsi epithetum; tum vineæ & sponsæ collatio, cum enim vinea in delitiis sit, assiduamque agrorum operam desideret, ideo in vineæ amœnitate & sumtu, conditio sponsæ optimâ ratione exprimitur. Pari ratione Christus etiam hoc loco parabolam de vinea & nuptiis conjungere voluit, cum in utraque populus Judaicus accusetur, quod nec amori sponsi, nec cultura Domini sui responderit.

PARABOLA DE NUPTIIS FILII REGIS ET VESTE NUPTIALI.

MATTH. 21.

- 1. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς πάλιν εἶπεν αὐτοῖς, ἐν παραβολαῖς λέγων.
- 2. Ὁμοίωδι ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἄνθρωπῳ βασιλεῖ ὅστις ἐποίησε γάμους τῷ υἱῷ αὐτοῦ.
- 3. Καὶ ἀπέστειλε τοὺς δούλους αὐτοῦ καλεῖσαι τοὺς κληθεμένους εἰς τοὺς γάμους, καὶ οὐ θέλοντες ἔλθειν.

- 1. Et respondens Jesus iterum dixit eis per parabolas &c.
- 2. Simile factum est regnum celorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.
- 3. Et emisit servos suos, ut vocarent invitatos ad nuptias, & volebant venire.

Herm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

Hh 4

4. Πάλιν

4. Πάλιν απέστειλεν άλλους άλλους, λέγων· Επάτε τοὺς κεκλημένους, ἰδὲ τὸ ἀγνόν μου προβαίω, οἱ ταυροὶ μου καὶ τὰ σίτια τέτυμένα, καὶ πάντα ἑτοίμα, δευτε εἰς τὰς γάμους.
5. Οἱ δὲ ἀμελήσαντες ἀπέηλθον, ὁ μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν, ὁ δὲ εἰς τὴν ἐμπορίαν αὐτῶν.
6. Οἱ δὲ λοιποὶ κρατήσαντες τὰς άλλους αὐτῶν ἔβρισαν καὶ ἀπέκτειναν.
7. Ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς ἐβλήθη καὶ πένθους τοῦ φρατέματος αὐτῶν ἀπαλεσε τὰς φονεῖς ἐκείνας καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἐνεώρησε.
8. Τότε λέγει τοῖς άλλοις αὐτῶν· ὁ μὲν γὰρ ἑτοίμος ἐστίν, οἱ δὲ κεκλημένοι οὐκ ἦσαν ἄξιοι.
9. Περύεσθε ἄν ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, καὶ ὅσους ἂν εὕρητε, καλέσατε εἰς τὰς γάμους.
10. Καὶ ἐβελθόντες οἱ άλλοὶ ἐκείνοι εἰς τὰς ὁδούς συναγαγον πάντας, ὅσους εὗρον, ποιητὰς τε καὶ ἀγαθούς, καὶ ἐβλήθη ὁ γὰρ ἑτοιμὸς ἀνακλιμένους.
11. Εἰσελθὼν δὲ ὁ βασιλεὺς θεασάμενος τοὺς ἀνακλιμένους, εἶδεν ἐκεῖ ἄνθρωποι καὶ ἐνδεδυμένον ἐν ἑνὶ γάμῳ.
12. Καὶ λέγει αὐτῷ· ἔταίρε πῶς εἰσάγαγες ἃδε, μὴ ἔχων ἐνδύμα γάμου; ὁ δὲ ἔφη· ἄβη.
13. Τότε ἔειπεν ὁ βασιλεὺς τοῖς διακόνοις· Διψάντες αὐτῶν πόδας καὶ χεῖρας, ἀρατε αὐτὸν καὶ ἐκβάλετε εἰς τὸ σκοτό· τὸ ἔσωτερον ἐκεῖ ἐστὶ ὁ κλυμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.
14. Πολλοὶ γὰρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

4. *Rex misit alios servos, dicens: Dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi; tauri mei & alilia mea mactata sunt; & omnia parata, venite ad nuptias.*
5. *Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.*
6. *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliosis affectis occiderunt.*
7. *Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos & civitatem illorum succendit.*
8. *Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.*
9. *Ita ergo ad exitus viarum, & quotcumque inveneritis, vocate ad nuptias.*
10. *Et egressi servi illi in vias, congregaverunt omnes, quotquot invenerunt, malos pariter ac bonos: & implete sunt nuptiae discumbentibus.*
11. *Ingressus autem Rex ut videret discumbentes, ibi vidit illic hominem non vestitum veste nuptiali,*
12. *Ait illi: Amice quomodo hic intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.*
13. *Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus & manibus ejus, tollite eum & mittite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*
14. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

Exegesis hujus Parabolae.

INter omnes nuptias, quae in terris ab orbe condito in hunc usque diem celebratae sunt, nullae splendidiore & honoratior fuerunt, quam quae in Paradiso ante lapsum inter Adamum & Evam fuere instituta. Genes. 2. v. 22. Sponsus in illis nuptiis fuit Adamus, qui Dei filius dicitur Luc. 3. v. 38. is ad imaginem Dei in justitia & sanctitate vera erat conditus Ephes. 4. v. 24. qui ornatus splendidior fuit omni magnificentia regis. Sponsa itidem fuit supremi Regis filia, Eva scilicet, ipsius Dei manibus formata, in corpore & anima pulcherrime exornata. Concionem nuptialem habuit & conjuges copulavit ipse Deus, qui sponsam sponso adduxit, & de conjugii legibus sancte in violateq; servandis eos admonuit Genes. 2. vers. 24. Matth. 19. vers. 5. dos sponsae fuit caeli terraeque dominium Genes. 1. v. 28. nuptialis apparatus, Paradisi fructus; tunc vilissimum pomulum Paradisi fuit suavioris saporis, quam hodie exquisitissima fercula. *Musices* vicem supplerunt Angelorum juba. Sed longè praestantiores & digniores nuptiae in hac parabola describuntur, in quibus sponsus est Christus secundus Adam, Dominus de caelo, naturalis & unigenitus Dei filius 1. Cor. 15. vers. 48. is personali foedere humanam Naturam sibi copulavit, & hoc ipso omnibus verè in ipsum credentibus hanc dignitatem promeruit, ut non solum ad nuptiale gaudium invitentur, sed ipsi quoq; per fidem fiant spiritualis ipsius sponsa, quam ardentissimo amore amplectitur, eamque in hac vita nutrit & defendit Ephes. 5. v. 29. ac tandem ad caelestium gaudiorum participationem velut in domum suam introducet, ut

cum Angelis & electis omnibus dicere possit Apocal. decim. non. vers. septim. *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni, & uxor ejus preparavit se.* vers. 8. *Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendente & candido, byssinum justificationes sunt Sanctorum.* Hic ornatus sponsae, haec vestis ejus nuptialis longè dignior & fulgentior est, quam vel Adae vel Evae ornatus, est enim ipsius Christi justitia per fidem imputata. Sedulo igitur cavere convenit, ne vel invitationem ad hasce caelestes nuptias negligamus, vel sine veste nuptiali in illis compareamus, alias in exteriores tenebras projiciemur. De his omnibus in praesente pericopa Christus nos instruit. Partes ejus duae sunt: 1. ἡ παρὰ ἑαυτῆς ἴψα parabola. 2. ἡ παρὰ ἑαυτῆς parabole conclusio sive Epiphonema, ejusdem scopum & usum monstrans. Antequam Matthaeus ipsam parabolam enarret, praemittit loco proemii connexionem cum praecedentibus: *Et respondens Jesus iterum dixit eis per parabolas & ait.* Quia verò in praecedentibus non describuntur quidam sermones vel quaestiones, quibus responsonis loco hanc parabolam Christus subjecerit, inde variae oriuntur explicationes. Quidam statuunt, varios hinc & inde sermones inter Christum & Proceres Judaicos fuisse agitados, antequam Christus hanc parabolam ipsis proposuerit, quam vis illi non fuerint ab Evangelistis annotati. Quia enim ira adversus eum concitati, voluerunt eum comprehendere, verisimile est, quod hanc bilem suam effuderint, & παρρησιασίου ipsius durioribus verbis taxaverint. Sed quia Evangelista diligenter

genter omnia annotant, quæ diebus ante passionem proximis Christo obtigerunt, ideò non prætermisissent illos sermones, si qui priùs inter Christum & Proceres fuissent habitii. Timebant turbam, quæ Christum ut Prophetam habebat, ideò non fuere auri sanguinaria sua consilia exponere, vel asperis verbis Christum adoriri, unde paulò post captiosa quæstione ipsum illaqueare cogitant. Ac si vel maximè nulli subintelligantur præcessisse sermones, optimà tamen ratione hæc parabola cum proximè præcedentibus coheret, ut paulò antè ostendimus. Glossa ordinaria verbum *respondendi* sic exponit, quod Christus pravæ ipsorum cogitationi de morte sua hac parabolà obviare voluerit. Sed quando Christus tacitis adversariorum cogitationibus respondet, solent Evangelistæ id notare, ut Matt. 9, 4. Marc. 2, 6. Luc. 5, 22. vel certè ex ipsis verbis Christi evidenter id colligi potest, ut Luc. 7, 40. tale verò quid in hac parabola non occurrit, nisi quis eò referre velit, quod Christus sanguinaria ipsorum consilia in lucem producere voluerit, quibus non solum ipsi, sed etiam Apostolis & discipulis ejus mortem inferre meditabantur, de sua morte in præcedente parabola dixerat, de morte Apostolorum in hac parabola differit. Simplicissimè igitur dicitur, verbum *respondendi* hic usurpari more Hebræis usitato, apud quos *תע* non solum significat alterius quæstioni respondere, sed etiam *sermonem ordiri aut continuare sine precedente interrogazione, cogitatam & oportunam orationem proferre, aut intermissum sermonem prosequi ac velut novum subijcere* Matt. 11, 25. cap. 15, 15. Marc. 11, 14. &c. Dicitur autem Christus *πάλιν* iterum locutus eis, Principibus scilicet, Sacerdotum, Scribis, Senioribus & Phariseis, ut ex præcedentibus colligitur. Quod enim in præcedente parabola dixerat, regnum Dei à Judæis propter ipsorum crudelitatem & impietatem auferendum & dandum alteri genti, quæ ferat fructus ejus, id in hac parabola evidentiùs & clariùs explicat, ut in ratione ordinis monuimus. *επει* ponitur hic pro *ελάλησεν* locutus est, statim enim additur *λέγων* dicens, sive in hæc verba, quod tamen Syrus sine jactura sensus omisit. Dicitur locutus *εν ωραολαίς*, cum tamen unam duntaxat Matthæus recitet parabolam, vel quod plures adhuc proposuerit, quæ non sunt ab Evangelistis annotatæ, ut quidam volunt vel quod commodiùs, *εν ωραολαίς*, idem est, quod *ωραολαίως* parabolice, ut sit sensus, Christum prioribus parabolis adhuc aliam subjecisse. Jamdum sufficienter ipsos præmonerat de futuro excidio, & videbatur parum apud ipsos proficere, *quærebant enim cum comprehendere*, nihilo tamen minùs eos ad penitentiam hortari sedulo pergit, suo ministros Ecclesiæ instruens exemplo, quod de conversione peccatorum non debeant statim omnem spem abijcere, sed *cum modestia corriperere* *ως αντιδιαίθεμεν*, si quando det illis Deus penitentiam 2. Timoth. 2. v. 25. *predicare verbum, instare oportet, ne importune arguere, obsecrare in omni patientiâ & doctrinâ* cap. 4. v. 2. Docet insuper, confessionem cœlestis veritatis propter pericula non esse abijciendam vel intermittendam, etiam si per eam hostes magis exacerbentur. Deniq; cum ex subjecto epiphonemate appareat, Christo propositum fuisse sublimem articulum de electione explicare, ejusque doctrinam para-

bolæ cujusdam simplicitate complecti, ideo Ecclesiæ doctores monere voluit, in hoc difficillimo articulo ipsos non debere *εψηλοφρονειν*, sed ad captum auditorum se demittere, & appositis similitudinibus declarare, quod causa reprobationis & damnationis non sit quærenda in absoluto quodam Dei odio & decreto, sed in ipsis hominibus vel ex Epicuræo contentu divinam vocationem repudiantibus, vel terrena cœlestibus præferentibus vel hypocritin in corde foventibus.

1. Parabola ipsa tribus absolvitur membris. Primum continet *nuptialis convivii instructionem: Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Per regnum cœlorum in Scripturis quandoque intelligitur *regnum gratiæ* sive Ecclesia in terris militans, quandoque verò *regnum gloriæ* sive Ecclesia in cœlis triumphans, ut in præcedenti capite ostendimus. In hac parabola per regnum cœlorum intelligitur regnum gratiæ sive militans Ecclesia. 1. Quia comparatur convivio nuptiali, ad quod boni & mali introducuntur, sed in regnum gloriæ soli boni admittuntur. 2. Quia in hoc convivio deprehenditur aliquis non indutus veste nuptiali, sed in regno gloriæ omnes erunt induti veste nuptiali, utpote justitiæ & immortalitatis veste ornati, corporis & animæ dotibus præclarissimis instructi Matth. 22. v. 30. Apoc. 21. v. 27. &c. 3. Ex hoc convivio aliquis in tenebras exteriores ejicitur, sed ex regno gloriæ nemo expelletur, qui semel in illud receptus fuerit. 4. Regnum cœlorum hic comparatur prandio, quod cœnam solet præcedere. Id Gregorius homil. 38. sic applicat, quod per nuptias hoc loco *presens Ecclesia*, per cœnam verò in parabola *Luçæ æternum & ultimum convivium* designetur. 5. Potest etiam connexio hujus parabolæ cum præcedentibus aliquid monere. Illud regnum cœlorum comparat Christus prandio nuptiali, de quo in præcedentibus dixerat, *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti, quæ ferat fructus ejus*, jam verò regnum gloriæ non aufertur alicui, cui semel datum est, nec Pontifices, Scribæ & Seniores illud jamdum acceperant, utique ergo per regnum cœlorum sive regnum Dei non potest hoc loco propriè & principaliter intelligi regnum gloriæ, sed potius accipiendum est de regno gratiæ. Hilarius quidem *de gloria cœlesti* id exponit, quæ in Scripturis convivio nuptiali solet comparari Pf. 17. v. 15. Pf. 36. v. 10. Luc. 14. v. 15. cap. 22. v. 29. Apoc. 19. v. 9. id verò accipiendum hoc sensu, quod ex regno gratiæ credentibus & in fide perseverantibus pateat aditus in regnum gloriæ, sicut illi, qui in prandio nuptiali rectè se gerunt, ad participationem cœnæ admittuntur, finis ac scopus vocationis ad Ecclesiæ sive regnum gratiæ hic est, ut ex Diaboli regno & Tyrannide liberati in terris vitam cœlestem vivamus, tandem verò in cœlis cum Christo regnamus, unde Ecclesia canit, *quia parata sunt omnibus firmiter credentibus cibaria vitæ conferentia Angelica, cœlicaque gaudia.* Atque hæc etiam causa est, propter quam Ecclesia in his terris militans sive regnum gratiæ vocetur *regnum cœlorum*, hoc est cœleste, phrasî Hebraicâ, quia scilicet cœlestem habet Regem Christum ad dextrâ Patris in cœlis sedentem, cœlestes habet leges, doctrinam ex sinu Patris cœlestis delatam, cives

hujus

hujus regni quarunt cœlestia, & ipsorum *conversatio est in cœlis* Philip. 3. vers. 20. Coloss. 3. vers. 1. Deus in illis regnat modo cœlesti, data sunt ipsis promissiones cœlestes, quod cum Rege suo in cœlis aliquando in summa gloria & felicitate sint victuri, omnia ergo in hoc regno sunt spiritualia & cœlestia. *Regnum cœlorum*, inquit Gregorius d. l. est congregatio iustorum. *Quia enim per Prophetam Dominus dicit, cœlum mihi sedes est, & Salomon ait: Anima iusti sedes sapientiæ, Paulus etiam dicit, Christum esse Dei sapientiã, aliquando colligere debemus, quia si Deus sapientiã, anima autem iusti sedes sapientiæ, dum cœlum dicitur sedes Dei, cœlum ergo est anima iusti &c.* Regnum ergo cœlorum est Ecclesia iustorum, quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc ad superna suspirant, jam in eis Dominus quasi in cœlestibus regnat. Ex quo etiam apparet, quã de re hæc honorifica Ecclesiæ, ad quam vocati sumus, appellatio nos admoneat. Hoc ergo regnum cœlorum ratione modi, quo homines ad illud ex mundo colliguntur, dicit Christus assimilari homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, hoc est, tale quid in colligendis hominibus in regnum cœlorum sive vocandis ad Ecclesiã consortium accidere, quale si Rex quispiam nuptiale convivium instrueret, ac recusantibus ad illud venire proximis & honoratoribus, quosvis sine discrimine & ex trivio lectos ad illud vocet. Probè autem notandum, quod Christus non dicat *οὐδὲ ἐστὶν ἡ βασιλεία*, sed *ομοιωθήσεται* sive simile factum est. Neque enim in se ac per se tale est regnum cœlorum, ut quæ de illo hoc loco commemorantur, ad ejus Naturam essentialiter & necessariò requirantur, sed accidunt illi vitio hominum, qui vocationem ad illud regnum contemnunt, vel in eo sine veste nuptiali comparent, unde propriã ipsorum culpã vocatione ad hoc regnum cedit ipsis in majorem damnationem, cujus regnum ipsum in se & suã Naturã non est causa. Idem ergo est, ac si diceret: Vos regnum cœlorum simile fecistis ac facietis homini Regi, multos quidẽ ad nuptias Filii sui vocanti, sed exiguum pro hoc beneficio à vocatis gratiam impetranti. Quamvis verò in præterito dicatur regnum cœlorum simile factum ejusmodi Regi, tamen ex phrasi Hebraica subintelligendum etiam tempus præsens & futurum, quod simile fiat & in posterum etiam sit futurum, prædicat enim rem futuram, quamvis aliqua ex parte jamdum cœptam. Per Regem, qui nuptias Filio fecit, sine controversia intelligitur Pater cœlestis, qui est Rex Regum & Dominus dominantium Deut. 10. 17. 1. Tim. 6. 15. Rex magnus super omnes Deos sive Reges terrenos Ps. 95. v. 3. illorum enim regna angustis concluduntur terminis, hic verò est Rex cœli & terræ, Rex totius universi; illi paucis duntaxat subditis imperant, hic verò omnium non solum hominum, sed etiam Angelorum Rex est, obtinet enim triplex regnum, potentie, gratie & glorie. Angelos & electos regit gloria majestatis, cives Ecclesiæ regit gratia, Diabolos justitia. Reges terreni brevi temporis spacio regnant, hic verò ab æterno in æternum regnat; illi terreni habent thronos, hic verò cœleste obtinet solium; illi ad regimen qualecunque multis indigent consiliariis & ministris, hic verò nullius consilio vel virtute indiget, sed immediatè omnia in regno suo

gubernat: illi vivunt ex bonis subditorum, hic verò omnes suos subditos pascit. Quanta sit hujus Regis potentia, sapientia, opulentiã, majestas & gloria, non possumus in hujus vitæ infirmitate plenè intelligere, cognoscemus autem quando à facie ad faciem ipsum videbimus. Concinnè verò Pater cœlestis in hac parabola Regi confertur, tum quia magnificas & regias instruit nuptias, tum quia introducitur nullo exercitu vindictam sumere de interfectoibus servorum suorum, quod non nisi Regi sive Magistratui competit. Quod non simpliciter Regi, sed homini Regi regnum cœlorum simile factum dicitur, id quidam phrasi graeca dictum arbitrantur; Græcis enim frequens est talis pleonasmus; sic *αἱ ἡρώδης* apud Herodotum; *ἀνδρες δικασταί*, *ἀνὴρ βασιλεὺς* apud Homerum. Quidam afferunt hanc rationem, quod regnum propriè competat hominibus. Est qui hoc modo phrasin explicat: Regnum cœlorum simile factum est homini Regi, hoc est, cuidam Regi. Sed quia in hac parabola magnum hujus Regis beneficium, videlicet vocatione ad regias filii nuptias describitur, ideò huc accommodari potest observatio Theophylacti in c. 14. Luc. *ὁ θεὸς ὁὐκ ἐστὶν τὴν τιμωρίαν ἀλλὰ τὸ δόξα μὲν αἰνέσει, ὡς ἀπὸ τῆς γραφῆς πάντῃ καὶ πείραστος καὶ ἀρετῆς ὄνομα ἔχει, ὁ δὲ Φίλιον θρωπιαν τὴν αἰνέσει καὶ μέδων, ἀνθρώπων εἰσαγγέσει.* Caveamus igitur, ne beluinis nostris moribus Deum in leonem & ursum nobis convertamus Thren. 3. vers. 10. sed *Φίλιον θρωπιαν* ipsius humaniter excipiamus. Per *Filium Regis* intelligitur unigenitus Patris cœlestis Filius ab æterno ex ipsius substantia genitus. Is cum sit Regis filius, ipse quoque Rex est, neque enim fas est Dei filium degenerem suspicari, sed equalis necesse est sateri altitudinis & ejusdem penitus dignitatis, ut loquitur Bernhardus serm. 1. de adv. Dom. Rex ergo est secundum divinam Naturam, secundum quam est ejusdem essentiae & gloriæ cum Patre; Rex insuper est etiam secundum humanam Naturam Joh. 18. vers. 37. in cujus rei signum ex regia tribu Juda fuit natus Hebr. 7. vers. 14. *habet in vestimento & in femore suo scriptum nomen, Rex regum & Dominus dominantium* Apoc. 19. vers. 16. ac per suam ad dextram Patris sessionem ad plenariam cœli terræque gubernationem inauguratus est Dan. 7. v. 14. Matth. 28. vers. 18. Per nuptias huic Filio suo à Rege paratas, quod sit propriè accipiendum, non est una atque eadem Interpretum sententia. Numerantur in Scripturis & Ecclesiasticis Scriptoribus quintuplices nuptiæ. 1. Carnales sive hujus seculi nuptiæ inter maritum & uxorem; dicuntur *carnales*, non quasi in conjugio vivere sit secundum carnem vivere Rom. 8. v. 13. sed quia conjugēs fiunt *una caro* Genes. 2. vers. 24. Matt. 19. v. 5. dicuntur *nuptiæ hujus seculi*, non quod careant divinã institutione, sed quia propter propagationem generis humani in hac vita celebrantur & cum hoc seculo transeunt Luc. 20. v. 34. *filii hujus seculi nubunt & nuptum elocantur.* 2. Sacramentales inter Christum & Ecclesiam, quæ sæpe vocatur *Christi sponsa* Ps. 45. vers. 10. Cant. 4. vers. 8. Esa. 62. vers. 5. Johan. 3. vers. 29. &c. Ratio appellationis deducta est ex Ephes. 5. vers. 32. *Sacramentum sive mysterium hoc magnum est, dico autem de Christo & Ecclesia.* 3. Spirituales ac mysticæ inter Christum & fidelem animam, quæ per fidem Christo despon-

desponsata Ose. secund. vers. decim. non. fit carissima eius sponsa Apoc. vigesim. secund. vers. decim. septim. Hæ spirituales nuptiæ cum Sacramentalibus magnam obtinent cognationem, quia Ecclesia nihil aliud est, quam cœtus fidelium & sanctorum animarum Christo verâ fide adherentium. Ratio appellationis deducta est ex 1. Corinth. 6, 17. *Qui adheret Domino, est unus Spiritus cum eo.* 4. *Cælestes itidem inter Christum & Ecclesiam, sed non amplius in terris militantem, verum in cœlis triumphantem, & ad gaudia vitæ æternæ à sponso suo introductam.* Apoc. decim. non. vers. septim. *Gaudeamus & exulemus & domus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni & uxor eius preparavit se.* 5. *Personales inter λόγον & assumptam humanam Naturam, quam Filius Dei personali fœdere sibi copulavit.* De his nuptiis quidam veterum intelligunt locum Cant. tert. vers. undecim. *Egredimini & videte, filie Sion, Regem Salomonem in corona, quâ coronavit eum mater eius in die desponsationis sue & in die letitiæ cordis eius.* Hæ personales nuptiæ à forma unionis inter λόγον & carnem sic dictæ itidem sunt spirituales & mysticæ, unde Bernhard. in lib. sent. tres ponit species nuptiarum spiritualium, *reconciliationis, adoptionis & glorificationis.* Quidam igitur per nuptias hic intelligunt *Sacramentales* inter Christum & Ecclesiam. Hieronymus in cap. 22. Matth. *Rex iste fecit nuptias Domino nostro JESU CHRISTO & Ecclesie, quæ tam ex Judæis, quam ex gentibus congregata est.* Euthymius in hoc loco. *Nuptiæ sunt mysticæ Filii conjunctio ad Ecclesiam credentium, quæ duplex, hæc per fidem, illic supernaturaliter, vocanturque nuptiæ, tum propter ipsius Ecclesie gaudium.* Similia occurrunt apud Origenem tract. 20. in Matth. *Quidam accipiunt de nuptiis spiritualibus inter Christum & quamvis fidelem animam, ut Theophylactus & Autor imperfecti operis in Matth. Quidam per nuptias intelligunt beatitudinem cœlestem, quâ una cum CHRISTO post hanc vitam electi fruuntur, hoc est, nuptias cælestes.* Hilarius can. 22. in Matth. *Hic nuptiæ vitæ cælestis & in resurrectione suscipienda æternæ gloriæ Sacramentum est.* Chrysostom. homil. 70. in Matth. *Cum resurrectio fuerit sancta sanctorum, tunc suscipiet hominem vitæ, quæ est CHRISTUS, mortalitatem ejus suâ immortalitate absorbens, nunc enim quasi arrhas futuri conjugii Spiritus sancti accepimus.* Quemadmodum enim in nuptiis præsertim regalibus omnia maximo cum gaudio ac gloria inque summis delitiis peraguntur 1. Macc. decim. vers. quinquagesim. octav. sic ineffabilis erit gaudii & gloria magnitudo in vitæ æternæ. Quemadmodum in nuptiis regalibus omnia gratis offeruntur, neque enim convivæ in illis suum conferunt Symbolum, sed Regis magnificentia fruuntur: sic vitæ æternæ est gratuitum Dei donum, non operum nostrorum meritum. Quidam denique exponunt de nuptiis *personalibus* inter λόγον & assumptam Naturam humanam. Augustinus orat. contra Judæos, paganos & Arianos cap. 9. *CHRISTUS processit ex utero virginali, tanquam Sponsus de thalamo suo, in quo utero spirituales nuptiæ sunt celebratæ, DEUS conjunctus est carni, & caro adhesit DEO.* Gregorius homil. 38. in Evang. *Tunc Rex summus nuptias Filio suo fecit, quando hunc in utero virginis humana Naturæ conjunxit.* Isidorus in

lib. alleg. *Rex, qui fecit nuptias Filio suo, DEUS Pater intelligitur, qui copulavit ex virgine carnis virginem CHRISTO.* Quamvis verò hæc expositiones non sint contrariæ, sed optimâ ratione conjungi possint, quia enim Filius DEI humanam Naturam in personæ suæ unitate assumptam, inde Ecclesiæ suæ & cuiusvis fidei animæ hunc honorem promeruit, ut fide in hac vita tanquam sponsa ipsi copulari possint, & ad gaudia cælestium nuptiarum introduci aliquando debeant: (unde Augustinus libr. prim. quæst. Evang. cap. trigessim. prim. has interpretationes conjungit. *Per nuptias, inquit, intelligitur VERBUM incarnatum, quia in ipso homine suscepto Ecclesia DEO copulata est*) directè tamen & principaliter de nuptiis personalibus sermonem hoc loco esse arbitramur. Primò enim nuptiæ hæc dicuntur *paratæ* non convivis, sed *ipso Regis filio*, proinde per eas non potest in hoc vers. 2. intelligi nuptiale convivium, quod convivis paratur, sed ipsa personalis humanæ Naturæ cum persona Λόγου unio. Sane Græcis γάμος conjugium ipsum & convivium nuptiale significat, sed quando Rex dicitur *μνηστὴς γάμου* filio suo, res ipsa ostendit, priorem hujus vocabuli significationem hic locum habere, quando verò postea vers. 3. convivæ ad γάμου invitare dicuntur, tunc in posteriore significatione hoc vocabulum accipitur. Syrus Interpres utrobique per *חתונה* convivium à bibendo dictum reddidit, sed illud non tam sponso, quam convivis parari dicitur. Deinde si vel maxime per τὸν γάμον utrobique velimus intelligere nuptiale convivium, ut illud Filio Regis, hoc est, in honorem ipsius tanquam sponsi institutum dicatur, quo sensu Raguel genero & filia suæ γάμον ποιῶσαι dicitur Tob. octav. vers. vigesim. & Alexander Cleopatrarum filia suæ nuptias in Ptolemaide fecisse dicitur 1. Maccab. decim. vers. quinquagesim. octav. ac more apud omnes gentes recepto conjugali desponsationi convivium solet conjungi, tamen Ecclesia cum veris suis membris in hac parabola non confertur sponsa, sed hominibus ad nuptiale convivium invitatis. Neque enim servi dicuntur Ecclesiam tanquam sponsam Christo adducere & despondere sicut 2. Corinth. undecim. vers. secund. Apoc. vigesim. prim. vers. secund. sed dicuntur convivæ ad prandium nuptiale invitare. Quare cum per conviviarum invitationem vocatio Ecclesiæ intelligatur, per sponsam Filio Regis copulatam directè & principaliter non intelligitur ipsa Ecclesia, sed potius humana Natura Filio Dei personaliter in unione copulata. Commendatur igitur per has Filii Dei nuptias ineffabilis Patris cælestis Φιλανθρωπία & amor erga genus humanum, quod Filio suo sponsam eligit, non ex Angelis, sed ex genere humano Hebr. secund. vers. decim. sext. Non poterat Filius Dei sponsam inter Angelos vel homines invenire, quæ genere, dignitate & gloria sibi par & æqualis esset, quid enim Deo par & æquale esse posset in creaturis? ideo demisit se, & sponsam genere, dignitate & gloria longè inferiorem sibi elegit, nec assumpsit Naturam Angelicam humanâ adhuc digniorem, sed semen Abrahæ, & quidem non ante lapsum, cum humana Natura adhuc imaginem Dei in se splendidissime fulgentem circumferret, & justitiâ ac sancti-

sanctitate perfecta esset prædita, sed post lapsum, per quem humana Natura miserè corrupta, Dei inimica, temporali & æternæ morti obnoxia erat reddita. Ex hoc damnato & perduto genere humano Filius Dei sponsam sibi elegit, quia humanam Naturam, omnis tamen peccati expertem, in & ex Maria virgine assumpsit, eamque Naturam humanam suscepit, non *ut servam*, sed illam sibi copulavit, *ut sponsam*, quæ personalis divinæ & humanæ Naturæ in Christo unio concinnè nuptiis sive conjugio confertur. Ut enim 1. in nuptiis hujus seculi maritus & uxor sunt *una caro* Genes. secund. vers. vigesim. quart. Matth. decim. non. vers. quint. sic ex divina & humana Natura constat una Christi persona. In nuptiis hominum duæ personæ solent conjungi: in his non duæ personæ, sed duæ Naturæ in una tantum persona sunt copulatæ. 2. Ut conjugii vinculum est indissolubile, sic divina & humana Natura in Christo indissolubili fœdere sunt unitæ, quinimò longè arctiore vinculo, quàm conjuges, invicem copulantur, cum nec per mortem dissolutum fuerit vel dissolvi poterit personalis unionis vinculum. 3. Ut sponsa redditur particeps honoris & bonorum sponsi: sic assumpta Naturæ humana donâ verè divinâ & infinita personaliter sunt communicata. 4. Quemadmodum per nuptias dissidia magnatum quandoque componuntur: sic per hæc personales Filii Dei nuptias genus humanum Deo est reconciliatum, & causâ inimicitie sublata. 5. Quemadmodum nuptias præcedunt sponsalia: sic per promissiones futuræ incarnationis in Vet. Testam. fuit quasi desponsatio facta. 6. Sicut per matrimonium contractum inter personam legitimam regni heredem & alteram distantem regnum amissum recuperatur: sic per has personales nuptias cœlestis regni hereditas, prævaricatione primi parentis amissa, est generi humano recuperata. 7. Quemadmodum conjugium instituitur ob generationem prolis: sic hæc personales nuptiæ sive incarnatio Filii Dei spirituales filios per fidem Deo parit Joh. prim. vers. duodecim. Hæc sunt præcipua comparationis membra, propter quæ divinæ & humanæ Naturæ in Christo unio nuptiis confertur, quarum thalamus suavissimis floribus decoratur. Quamvis verò directè & principaliter assumpta Natura humana per sponsam filio Regis copulatam & personales nuptiæ per nuptias ipsi paratas intelligantur: Secundariò tamen & consequenter possunt intelligi nuptiæ spirituales inter Christum & quamvis fidelem animam, ac sacramentales inter Christum & Ecclesiam, cum ex aliis Scripturæ locis manifestum sit, & Ecclesiam & quamvis fidelem animam Christi sponsam vocari. Neque enim fideles invitantur duntaxat ad convivium nuptiale, sed etiam sunt charissima Christi sponsa, quam sponsus cœlestis sincerè amat, arctissimè eam sibi unit, mundat lavacro aquæ in verbo, vestit suâ justitiâ, cibât suo corpore & sanguine, & ad gaudia cœlestium nuptiarum tandem introducit. Quemadmodum igitur duplex corpus Christo in Scripturis tribuitur, personale & proprium, quod in personæ suæ unitatem & λόγος assumit; ac spirituale & mysticum, cujus ipse capit est: ita quoque duplex sponsa Christo in Scripturis assignatur, videlicet tum humana Natura,

quam personali & indissolubili fœdere sibi copulavit, tum Ecclesia & quævis fidelis anima, cui per assumptionem humanæ Naturæ hunc honoris & dignitatis gradum promeruit, ut per fidem ipsi uniri & sponsa ipsius fieri possit. Inter duplex corpus Christi pulcherrima deprehenditur conformitas. Quemadmodum Filius Dei corpus humanæ suæ Naturæ non attulit ex cœlo, neque ex suorum essentia illud creavit, sed ex substantia Mariæ virginis illud assumpsit, ita tamen, ut Spiritus sanctus guttulas illas sanguinis in Maria, ex quibus corpus illud formatum fuit, prius sanctificavit, & venenum peccati ex iis exterferit: ita quoque ad mysticum suum corpus non elegit Angelos, sed ex genere humano illos facit mystici hujus corporis membra, qui à Spiritu sancto per lavacrum aquæ in verbo mundantur, & sanctificantur, in quibus per fidem habitat. Quemadmodum in corpore suo personali sustinuit famem, sitim, frigus, mortem: ita quoque corpus mysticum in hac vita cruci & persecutionibus est subjectum, quæ ipsius sors durat ad mundi usque finem. Quemadmodum corpus suum personale cum gloria ex mortuis reduxit, & ad dextram Patris cœlestis evexit: ita quoque corpus mysticum ex terra pulvere aliquando suscitabit & ad regni cœlestis hereditatem introducet. Pari ratione inter duplicem Christi sponsam suavissima conformitas animadvertitur. Assumpta Natura humana Filio Dei unita est personaliter, ac perinde ἀρχαίς τῶν ἁδελφῶν, ἀσπληνῶν, ἀπαθῶν, ἀκαταράκτων, ἀδύλακτων, ἀδύσπληκτων: Ecclesia & viva ejus membra Christo unita sunt mysticè ac spiritualiter. Assumpta Natura est templum & habitaculum & λόγος personale, in quo *tota plenitudo Deitatis habitat* σὺν ἡμῶν Coloss. secund. vers. non. Ecclesia est templum & habitaculum Christi spirituale, in quo per fidem in hac vita habitare incipit Bphest. tert. vers. decim. septim. Inter assumptam Naturam & assumptam ex unione personali sequitur communicatio idiomatum personalis: inter Christum & Ecclesiam ex unione spirituali sequitur communicatio idiomatum spiritualis ac possunt singula communicationis genera, quæ ex personali unione resultant, certo modo ac respectu ad mysticam communicationem, quæ ex spirituali unione fidelium cum Christo resultat, pie applicari, ut alibi plenius ostendimus. Sicut assumpta Natura humana in hac vita particeps fuit passionis & mortis, sed postea ad gloriam est everta 1. Pet. prim. vers. undecim. ita spiritualis Christi sponsa in hac vita cruci est subjecta, sed in vita æterna ad summam cum Christo capite & sponso suo evehetur gloriam Rom. octav. vers. decim. septim. 2. Timoth. secund. vers. undecim. & duodecim. 1. Pet. 1. vers. sext. Apoc. prim. vers. non. &c. Sed enim cum de spiritualibus hisce nuptiis directè & principaliter hic non agatur, idè quæ de illis dicenda restant, ad parabolam de decem virginibus sponso occurrentibus differemus. Sequitur ergò secundum parabolæ membrum, quod describit *convivarum ad nuptias invitationem*. Quemadmodum in nuptiis, h. e. conjugali honestarum personarum copulatione more apud omnes gentes recepto institui solet convivium Genes. 24. 54. cap. 29. v. 22. Jud. 14. v. 17. Job. 8. v. 20. cap. 9. v. 12. Luc. 14. v. 8. Joh. 2. vers. 12. ad quod à novis conjugibus vel

vel ipsorum parentibus invitari solent cognati, vicini & amici, tum ut sint testes legitimæ conjunctionis, tum ut dignitas conjugii asseratur, tum ut una cum sponso latentur, Matth. 9. v. 15. ad quas causas in Ecclesia accedit, quod convivæ nuptiales pro novis sponis vota facere debeant: ita quoque in parabola dicitur, quod quando Pater cœlestis Filio suo nuptias fecit, eidemque Naturam humanam personaliter instituerit atque ad ejus participationem multos invitaverit. Per hoc nuptiale convivium nihil aliud intelligitur, quàm beneficia illa amplissima, quæ Pater cœlestis per prædicationem Evangelii hominibus offert, quod scilicet mentes fidelium jucunda ac salutaria doctrinæ Evangelicæ prædicatione in hac vita pascit, ipsisque promittit, quod post hanc vitam æternæ beatitudinis gaudiis ipsos pascere ac reficere velit, de quo convivio in nuptiis Messiæ, ad eoque in Novo Testamento instituendo suavissima extat promissio. Esa. 25. v. 6. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium defecatorum, pinguium medullatorum & defecatorum, pinguium medullatorum & defecatorum purgatorum.* Videtur quidem inter pios veteres diversitas sententiarum, de tempore instituti convivii hujus nuptialis occurrere. Gregorius statuit, tunc fuisse epulum hoc instructum, quando Filius Dei in principio Novi Testamenti homo factus est. Origenes verò & Hilarius statuunt, post resurrectionem demum hæc nuptias instituendas esse, idque probant ex Matth. 25. v. 6. ubi sponsus media nocte ad sponsam suam in domum deducendam venturus dicitur, per quod tempus futura resurrectionis, & ultimus Christi ad judicium adventus intelligitur. Itemque ex Apoc. 19. v. 7. ubi in die novissimo demum *nuptia Agni* secutura dicuntur. Sed jam ante monuimus, hic non agi de nuptiis *spiritualibus* inter Christum & Ecclesiam, sed de nuptiis *personalibus* inter *légionem* & assumptam Naturam humanam. Utique ergo convivium nuptiale tunc institui cœpit, quando Filius Dei humanam Naturam sibi personaliter univit, & beneficia suæ incarnationis, passionis & mortis, per prædicationem Evangelii hominibus obtulit. Interim libenter fatemur, convivium hoc nuptiale non tantum durare in hac vita, sed etiam extendi in futuram vitam, quia beneficia, quæ in Evangelio hominibus offeruntur, non tantum complectuntur bona illa spiritualia, quæ in hac vita credentibus obtingunt, videlicet gratiam Dei, remissionem peccatorum, regenerationem, renovationem, Spiritus Sancti donationem &c. sed etiam illa, quæ in futura vita ipsis distribuentur, videlicet corporis & animæ perfectam glorificationem, beatissimam Dei visionem, æternam cœlestium gaudiorum fruitionem &c. Quamvis igitur propriè & principaliter Christus *per convivium nuptiale* intelligat prioris generis beneficia, quia vocat illud *prandium*, quæ verò in futura vita contingent, *τῷ θανάτῳ γάμου*, sive *cœnæ* nuptiali conferuntur, Luc. 14. v. 16. Apoc. 19. v. 7. tamen qui ad nuptias invitati dicuntur, ad participationem utriusque generis beneficiorum fuere invitati, undè absolute dicuntur *invitati eis τῶν γάμων*, hoc est, *ad nuptiale convivium*, quod & prandio constat & cœnæ. Servi quidem invitantes jubentur dicere,

Harm. Tom II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

prandium esse in his nuptiis *paratum*, eò quod prandium prius sit cœna, sed ex eo non potest inferri, quod perseverantibus, & in prandio rectè se gerentibus non fuerit etiam cœna nuptialis parata. Ad utrumque igitur invitari intelliguntur, videlicet tum *ad prandium nuptiale*, hoc est, ad spiritualia beneficia, quibus fideles in hac vita pascuntur; tum *ad cœnam nuptialem*, hoc est, ad bonam animæ & corporis, credentibus & in fide perseverantibus expectanda in futura vita, post quæ non sunt alia adhuc expectanda, & ad quæ nemo admittitur, nisi prandio in hac vita interfuerit, inque eo rectè se gesserit. Quinimò quod plus est, invitari fuere hi hospites non tantum ad convivium nuptiale, verum etiam, quod longè majus est, ut essent ipsa sponsa Filii Regis, unde etiam in parabola disertè non exprimitur, quæ sit in his nuptiis sponsa, ut intelligendum relinquatur, sponsam in his nuptiis esse non tantum assumptam Naturam humanam, quam Filius Regis *personaliter* sibi copulavit, sed etiam ipsam convivarum multitudinem, hoc est, Ecclesiam & viva illius membra, per *spiritualem* unionem Christo copulata, ut sic vocari ad nuptias sit non solum vocari ad convivium nuptiale, sed etiam ut Ecclesiæ aliquis inferatur, & sic fiat charissima Christi sponsa. Sed hæc omnia ex consequenti, & ex collatione aliorum Scripturæ locorum duntaxat colliguntur, principaliter & ex vi parabolæ credentes comparantur convivis ad nuptiale prandium à patre cœlesti invitatis. Facit hoc ad exaggerationem beneficiorum, quæ per prædicationem Evangelii Deus hominibus offert, quod Christus ea confert

1. Nuptiali convivio, in quo nihil triste, nihil aduersum, sed omnia lata & lauta esse consueverunt.
2. Non qualibuscunque, sed regalibus nuptiis, in quibus omnia magno cum splendore & apparatu solent institui, ut nihil desit, quod ad magnificentiam Regis declarandam, & convivarum hilaritatem promovendam quidquam faceere possit.
3. Ejusmodi nuptiis, quas Rex non servo alicui, vel satrapæ aulico, sed Filio suo, & quidem unico facit, in quibus Rex parens summo gestire solet gaudio, & convivæ regalibus epulis excipiuntur.
4. Unde etiam apparatus harum nuptiarum, in specie postea describitur, quod *cauri & alvilia sine mactata*, atque omnia abundantissimè parata. Hæc omnia ad gratiæ in verbo Evangelii oblata commendationem introducuntur. In hoc enim nuptiali convivio, hoc est, in prædicatione Evangelii, offeruntur nobis *μέγιστα καὶ τίμια ἔπαγγέλματα*, 2. Petr. 1. v. 4. videlicet misericordia Dei Patris, meritum & satisfactio Filii, consortio Spiritus Sancti, imò Christus cum omnibus suis beneficiis, ut ex ejus plenitudine omnes accipiamus gratiam pro gratia, Johan. 1. vers. 16. adeoque omnia ad vitam spiritualem, cœlestem & æternam necessaria. Offeruntur nobis in hoc convivio manna Evangelii, corpus & sanguis Christi, qui est verus animæ nostræ cibus & potus, Johan. 6. v. 55. ac ipsum regnum Dei, ideo enim hoc convivium institutum, ut vitam & omnem abundantiam in Christo sponso habeamus, Johan. 10. vers. 10. Quemadmodum etiam in nuptiali convivio est suavissima hospitem societas & conversatio: ita in nuptiis hinc Filio Regis paratis præstò est communio omnium

sanctorum, qui habitant in unum, Psalm. 133. v. 2. quorum est cor unum, & anima una, Actor. 4. v. 32. qui dulcissima de DEO habent colloquia, & uno ore laudes cœlestis Regis nuptiarum istarum, auctoris prædicant. Quemadmodum in nuptiis, præsertim regalibus, suavissima Mûsica audiri solet: ita quoque in Evangelicis hæc nuptiis suavissima harmoniæ, & concentus vicem suppleant verbum Dei, preces, Divinæ laudes, jubila cordis spiritualia, Coloss. 3. vers. 16. Notandum verò circa hanc vocationem ad nuptiale convivium in genere, 1. Quòd convivium dicatur quidem tunc institutum, quando Rex Cœlestis Filio suo nuptias fecit, hoc est, quando Filius Dei in plenitudine temporis Naturam humanam assumpsit, interim tamen vocatio ad has nuptias instructionem convivii nuptialis præcedere in parabola dicitur, quia cum adesset tempus nuptiarum, missi sunt servi, qui jam antè invitatos ad nuptias vocaverant. Fuit quidem hoc nuptiale convivium institutum per Filii incarnationem & adventum, quippe ante quem gratia Evangelii non fuit omnibus gentibus prædicata, & tanta cum mensura Judaico populo oblata, interim ante convivii hujus instructionem DEUS ad nuptias Filii sui multos ex genere humano vocavit, hoc est, omnibus mundi temporibus Ecclesiam ex hominibus sibi collegit, ac per Prophetas de incarnatione Filii sui, & beneficiis Messia prædicari curavit, quod fuit quasi præludium quoddam nuptialis illius festivitatis, in adventu Messia instituendæ, invitati enim fuere ad futuras nuptias, ut in Messiam venturum crederent, & fide beneficiis ipsius fruerentur.

2. Quod non Angeli, sed homines ad has nuptias invitantur. Propter homines hæc nuptiæ sunt institutæ, quia propter nos homines, & nostram salutem factum est æternum de incarnatione Filii decretum, ac propter nos homines in plenitudine temporis Filius DEI de cœlo descendit, & Homo factus est; non Angelos, sed semen Abrahæ, Filius DEI assumpsit, Hebr. 2. vers. 16. idè etiam non Angeli, sed Homines ad hæc nuptias invitantur. Sicut ad nuptias terrenas invitari solent, qui sponsum vel sponsam consanguinitate, vel affinitate attingunt: ita quoque ad cœlestes illas nuptias nos homines invitamur, quia sponsum secundum humanam Naturam est frater noster, caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris, Ephes. 5. v. 30. Et quia inter assumptam Filii & nostram Naturam magna erat distantia, propterea quod misera nostra Natura peccati labe ac tabe miserè erat depravata, ipsius verò Natura est immaculata, sancta & à peccatis ac peccatoribus segregata, Hebr. 7. v. 26. idè in parabola innuitur, quod sponsum propter nos se ipsum exinaniverit, legi sponte sese subjecerit, ac pro peccatis nostris in ara crucis mactari voluerit, ut quicquid ad gaudia illa nuptialia necessarium erat, nobis per seipsum pararet, & vocationem ad convivium hoc nuptiale nobis promereretur.

3. Quod invitatio fiat per servos, hoc est, per præcones Evangelii, non per immediatos raptus & afflatus internos. Per fideles enim Ecclesiæ Doctores thesauros suorum beneficiorum Deus nobis offert, de beneficiis Christi nos erudit, ad pœnitentiam ac fidem hortatur, ut ad nuptias hæc veniamus, & paratis nobis bonis perfruamur,

Matth. 3. v. 2. Marc. 1. v. 4. Luc. 24. v. 47. Actor. 10. v. 4. cap. 26. v. 18. 1. Tim. 4. v. 16. Non igitur opus est, ut cogitationibus nostris evagemur in cœlum, quærentes quid Deus de salute nostra in abscondito suo decreto constituerit, Deut. 30. vers. 12. Rom. 10. v. 6. sed consilium suum de salute nostra Deus nobis manifestavit per verbum, & verbi præcones, Actor. 20. v. 27. Rom. 16. v. 26. &c. Potuisset Christus addere, quod ipse Filius Regis invitatos ad nuptias vocaverit, quia Messias DEI Filius in propria persona Evangelium in Judæa prædicavit, Matth. 4. v. 17. cap. 9. v. 35. ac factus est minister circumcisionis, Rom. 15. v. 18. sed quia in superioribus parabolis jam antè ministerii sui mentionem fecerat, ac non satis convenire videbatur parabola, si post ipsius Filii invitationem alios servos ad convivas invitandos emissos fuisse diceret, idè illud intelligendum duntaxat relinquere voluit.

4. Quod sit vocatio gratuita, seria & universalis. Gratuita est, quia sine ullo suo merito conviva ad hoc epulum nuptiale invitantur. Quemadmodum liberæ voluntatis est, quem subditorum velit parens sponsi, præsertim si Rex sit, ad nuptias vocare, cum omnes sint Rege inferiores, ipseque nemini sit obstrictus: ita Deus ex mera gratia nos vocat ad nuptias Filii sui, hoc est, ad communionem spiritualium & cœlestium bonorum, Roman. 9. v. 16. 2. Tim. 1. v. 9. ipsius gratia omnes nostros conatus, omnem bonam voluntatem in nobis prævenit, neque enim ad hoc regale prandium veniremus, nisi gratuita sua vocatione nos anteverteret, ac voluntatem nostram ad obediendum vocationi flecteret. In nuptiis terrenis illi præ aliis vocantur, qui de patre sponsi bene meriti sunt, ipsique singulari quadam amicitia juncti, sed illud in vocatione ad cœlestes nuptias non habet locum, sumus enim *Natura filii iræ*, Ephes. 2. vers. 3. & *Dei inimici*, Rom. 5. vers. 10. vocantur in terrenis nuptiis illi, qui parenti sponsi consanguinitate juncti sunt, vel ejus vicini, sed illud itidem in vocatione ad cœlestes nuptias cessat, quia *peccata inter Deum & nos dividerunt*, Ezech. 59. v. 1. sumus alienati à conversione Israel, Ephes. 2. v. 12. & à *vita Dei*, cap. 4. v. 18. corrumpit igitur figmentum de merito congrui. Seria est vocatio, quia Rex distinctis vicibus servos ablegasse dicitur, ut convivas adducerent, graviter insuper irascitur, quod invitati non comparent. At quomodo illis seriò irasceret, qui non veniunt ad nuptias, nisi seriò illos vocasset? In nuptiis terrenis quandoque honoris tantum causa, ac dicitur gratia quidam invitantur, sicut de Italo quodam refertur, quod multos Germanos ad convivium invitavit, quos sperabat non comparituros, cum verò contrarium accideret, ac invitati præter ipsius opinionem se sisterent, dixit: *Germanos non intelligere verba honoris*. Sed in vocatione ad cœlestes nuptias talis simulatio non habet locum, neque enim *Deus est ut homo, ut mentiatur*, Numer. 23. vers. 19. quoscunque ipse vocat, illos seriò & non simulate vocat: corrumpit igitur figmentum de voluntate signi & externa, qua Deus ad regnum Filii sui vocet eos, quos voluntate beneplaciti & abscondita venire nolit. Universalis est vocatio, quia sumus in hoc convivium nuptiale facti ad omnes spectant, cum Christus pro omnibus mortuus sit;

ac ut paulò post sequetur, Deus sine discrimine Judæos & Gentes ad illud vocat, vocat etiam illos, qui non comparent, quomodo ergo cogitari potest, quod absoluto quodam decreto eos à salute excluferit, quodque Christus pro illis non sit passus ac mortuus? Certè quotquot per Evangelium vocantur, illis in Evangelio Christi beneficia offeruntur. At quibus Christi beneficia seriò & non simulatè offeruntur, illis etiam Christus passione & morte sua eadem promeruit. Corruit igitur figmentum de absoluto reprobationis decreto, propter quod vocatio sit particularis. Quamvis non omnes omni tempore actu vocentur, tamen causa hujus particularitatis non quærenda est in absoluto quodam Dei decreto, sed in ipsis hominibus, qui vel propria, vel majorum suorum culpa verbi prædicatione destituuntur, proinde vocatio ipsa ex Dei intentione & mandato spectata est, & manet universalis, Eisaia 45. vers. 22. Actor. 17. vers. 30. 1. Timoth. 2. vers. 4. &c. qua de re alibi plenius agitur.

Hiscæ in genere de vocatione ad convivium nuptiale præmissis, jam in specie de Judæorum & Gentium vocatione juxta parabola seriem disserendum erit. Cum enim Scripturæ, cum primis verò Apostolo Paulo usitatum sit, totum genus humanum in duas classes, videlicet in *Judæos & Græcos*, sive Gentes distribuere, Actor. 19. v. 10. Rom. 1. vers. 16. cap. 2. vers. 9. cap. 3. vers. 9. &c. ideò etiam Christus de vocatione ad nuptias regales ita agit, ut primò de vocatione *Judæorum*, deinde verò de *Gentium vocatione* tractet, cum occasione repudiata à Judæis gratia Gentiles ad regnum Christi sint vocati, Actor. 13. v. 46. Rom. 11. v. 12. De Judæorum vocatione Christus eo modo disserit, ut exponat 1. *Gratiæ Divinæ ipsi factam oblationem*. 2. *Gratiæ oblatæ repudiationem*. 3. *Justam illius repudiationis, & contentus vindicationem*. Gratiæ Divinæ tribus distinctis vicibus, adeoque per trinam vocationem Judæis oblatam esse docet. Primò quidem tempore Veteris Testamenti ante Messia adventum & incarnationem. De hac vocatione accipiendum, quod servi dicuntur missi, ut vocarent *τὸς κεκλημένους*, qui ante nuptialis convivii apparatus jam olim ad illud erant vocati & invitati, in suis scilicet majoribus vitæ functis. Quemadmodum enim in nuptiis terrenis, præsertim regis fieri solet, ut antequam illæ instruantur, homines ad eas invitentur, postea verò, quando tempus nuptiarum proximè instat, denudò rogantur, ut compareant, vel quia prius non præfixo die invitati fuerunt, vel si ad conditum diem vocati sint, iterum monentur, ut compareant, ne invitationis prius factæ eos capiat oblivio: ita Pater cœlestis de futuris Filii sui nuptiis, hoc est, de incarnatione & adventu Messia per Patriarchas & Prophetas populum Judaicum edocuit, & ad futuras illas nuptias per promissiones Evangelicæ eum vocavit, ut rectè dicantur *οἱ κεκλημένοι*, atque ut Hebræi etiam loquuntur *קראו* 1. Sam. 9. v. 13. jam ante invitati ad nuptias vocati, cum jam tempus nuptiarum appeteret, ex quo insignis Patris cœlestis erga nuptias Filii affectus, quanti scilicet eas aestimet, & *Φιλανθρωπία* erga genus humanum, quantopere ejus salutem expetat, manifestè elucet, quod ad futu-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

ras adhuc Filii sui nuptias convivas per vocem Propheticam invitavit. Maldonatus quidem statuit, *Christum hic tantum ex consuetudine locutum, ac dixisse, non quid à Deo erga Judæos factum, sed quid vulgò ab hominibus, & inter homines fieri consueverit*: sed quia res ipsa per parabolam significata huic consuetudini exactè congruit, ideò non est verisimile, voculam hanc otiosè, & ad contexendam duntaxat parabolam ex communis vitæ consuetudine esse adjectam. Ex his etiam apparet, quinam per *τὸς κεκλημένους* sint intelligendi? Athanasius in quæstionibus q. 9. pag. 324. per eos intelligit *Prophetas & Apostolos*. Quamvis verò etiam illi fuerint in numero invitatorum, tamen in hac parabola potius introducuntur ut invitantes. Hilarius intelligit tantum de illis Judæis, quos Christus ipse jam homo factus, eorumque in ministerio successores vocavit. Origenes, Hieronymus, Beda, Theophylactus &c. accipiunt de omnibus Judæis, etiam illis, qui ante Christi incarnationem vixerunt. Utrumque diverso respectu consistere potest. Quos enim post adventum Messia Deus ad has Filii sui nuptias vocavit, illi erant jam ante vocati, hoc est, de Messia adventu præmoniti, tum in suis majoribus, cum quibus unum constituiebant populum, tum in semetipsis, quia concio de futuro Messia adventu usque ad tempus exhibitum Messia divinitus in populo Israelitico fuit conservata, ac quamvis illi, qui tempore exhibitum Messia vixerunt, non audiverint Prophetas viva voce prædicantes, tamen audiverunt eos in scriptis suis de Messia testificantes. Atque hæc ipsa concio fuit medium vocationis ad regales nuptias, tum futuras, tum præsentis. Theophylactus statuit, eos fuisse invitatos, primò per *legem naturalem*, deinde per *Prophetas*. Sed lex naturalis Judæis ac Gentibus fuit communis, hic verò de Judæorum vocatione, ac proinde de tali vocationis medio agitur, quod ipsis solis est proprium. Alii igitur statuunt, vocationem esse factam per legem moralem, sicut Hilarius inquit cap. 22. in Matth. *Populus Israel in gloriam æternitatis per legem est advocatus*, sed quia illa tantum gradu perfectionis & modo patefactionis à lege naturali distinguitur, ideò rectius dicitur, quod *per promissiones de venturo Messia*, ejusque beneficiis per Patriarchas, Mosen & Prophetas divinitus promulgatas, fuerint invitati, quia horum Dei servorum, in Veteri Testamento scopus primarius fuit invitare homines ad agnoscenda beneficia Messia, promissiones de illo repetere, ad quas promissiones etiam pertinent typi sacrificiorum, & alii in veteri Testamento, quibus Messia incarnatio, passio & mors fuit præfigurata. Et quia promissio *de semine mulieris contrituro caput serpentis*, statim post lapsum à Filio Dei primis parentibus est patefacta, Gen. 3. v. 15. ac quia repetitio hujus promissionis de semine ex posteritate Abrahamæ nascituro, omnes Gentes in eo benedicendas esse ostendit, Genes. 22. v. 18. ideò haud absurdè dicitur, tunc omnes populos Judæos & Gentes in Adamo primo humani generis parente, & in Abrahamo omnium crederentium patre ad futuras Messia nuptias esse invitatos, ac spem salutis omnibus simul hominibus apertam & patefactam. Gregor. homil. 38. in Evang. *Bis servos ad invitandum misit, quia incarnationem*

tionem unigeniti & per Prophetas dixit futuram, & per Apostolos nunciavit factam. Altera igitur Judæorum vocatio facta est initio Novi Testamenti, cum jam paratæ essent Filii Dei nuptiæ, hoc est, cum Filius DEI in plenitudine temporis humanam Naturam jam assumpfisset, eamque personali unione sibi copulasset. De hac vocatione accipiendum, quod in parabola dicitur: *Et emisit Rex, qui nuptias Filio suo paraverat, servos suos, καλέσαι, subintellige ἐνεκα & καλέσαι, ut vocarent ad nuptias.* Pro ἀπέστειλεν Regius Codex habet ἀποστέλλει in præsentis, quæ lectio rei, per parabolam significatâ, non minus quam prior congruit, quia vocatio illa adhuc durabat, cum Christus hanc parabolam proponeret. Hieronymus in singulari legit, *servum*, ac de Mose illud exponit. *Haud dubium, inquit, quin Moses intelligatur, per quem DEUS legem invitatis dedit.* Sed Græci Codices, uti etiam Syrus, constanter legunt in plurali *servos*. Verisimile est lectionem illam transfusam ex Luc. 14. vers. 17. quæ si locum habere debeat, per servum intelligendus esset *Johannes Baptista*, qui per pœnitentiæ & fidei in Messiam jam exhibitum prædicationem ad hæc nuptias populum Judæicum invitavit. Per hosce servos quidam intelligunt *Patriarchas*, videlicet Adamum, Sethum, Enochum, Noachum &c. ac per alios servos, qui postea missi dicuntur, intelligunt *Prophetas*, Esaiam, Jeremiam, Danielelem &c. Plerique per priores servos intelligunt *Prophetas*, ac per alios servos, qui postea cum certa instructione ablegati, accipiunt *Johannem Baptistam & Apostolos*. Sed neutra interpretatio parabolæ congruit. Cum enim de ejusmodi servis hic agatur, qui ablegati fuere, cum nuptiæ jam essent paratæ, hoc est, cum Filius Dei jam dum incarnatus, & promissus Messias exhibitus, ideo nec Patriarchæ, nec Propheta Veteris Testamenti per hos servos intelligi possunt, sed intelliguntur 1. *Johannes Baptista*, qui in diebus illis, hoc est, Messia jam exhibitio & ministerium suum propediem inchoaturo, venit prædicans in deserto Judææ, & dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum caelorum*, Matth. 3. v. 1. & 2. Marc. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3. quod quid aliud est, quam si dixisset? Rex & Pater cœlestis nuptias Filio suo in carnem misso paravit, & per prædicationem Evangelii ad nuptiale convivium vos invitat, venite igitur ad beneficii hujus participationem per pœnitentiam & fidem. 2. *Apostoli*, quos Christus in diebus carnis suæ ad perditas oves domus Israël ablegavit, quibus prædicare deberent, *appropinquasse regnum caelorum*, Matth. 10. v. 7. 3. *Septuaginta Discipuli*, quos misit binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quod erat ipse venturus, ut prædicarent, *appropinquasse regnum caelorum*, Luc. 10. v. 1. & 9. Hilar. can. 22. in Matthæum: *Servi missi, qui invitatos vocarent, Apostoli sunt, eorum enim erat proprium, commonefacere eos, quos invitaverant Propheta.* 4. *Christus ipse* fuit in numero invitantium ad hæc nuptias, quia post solennem ad officium suum inaugurationem cœlitus factam cepit prædicare, & dicere: *Pœnitentiam agite, & credite Evangelio, appropinquavit enim regnum caelorum*, Matth. 4. vers. 17. Marc. 1. vers. 14. Quamvis hoc suum ministerium propriè & principaliter in hac parabola Christus non exprimat, sed filio

Regis ac sponso, cui paratæ sint nuptiæ, sese comparet. Hi ergo omnes Judæos, peculiarem illum DEI populum, Messia secundum carnem cognatos & propinquos, Johan. 4. v. 22. Rom. 9. v. 5. suos familiares & amicos, quorum majores Deus jam olim per Patriarchas & Prophetas de nuptiis his aliquando futuris certiores fecerat, jam paratarum & præsentium nuptiarum commonefecerunt, hoc est, publicè prædicarunt, Filium Dei in carnem venisse, Messiam promissum jam esse exhibitum, æquum igitur esse, ut ad magnificum epulum à Patre cœlesti instructum, hoc est, ad regnum Gratiæ, & participationem beneficiorum Messia certatim confluant. Sic ergo, ut per servos non intelliguntur alii Ecclesiæ Doctores & Ministri, quam qui post exhibitum Messiam in principio Novi Testamenti vixerunt, Priores enim, qui ante exhibitum Messiam vixerunt, jam dum erant vitæ sancti, nec de illis dici potest, quod *noluerint venire*, sed illi promissionem de venturo Messia fide amplexi sunt, & calidissimis suspiriis ejus adventum desiderarunt. Neque obstat huic interpretationi, quod per alios servos, qui postea dicuntur ablegati, itidem intelligantur Apostoli, tunc enim fuere quasi alii, qui alio modo ante Christi passionem prædicarunt, quam post Christi passionem. Prius dixerunt: *appropinquasse regnum caelorum*, postea verò *omnia dixerunt parata*, & per Christi mortem consummata. Insuper etiam alii servi ipsis fuere adjuncti, videlicet Stephanus, Paulus, Barnabas, Apollo, &c. qui omnes etiam post Messia nefariam occisionem Judæos ad regnum Gratiæ, & beneficiorum Messia participationem per Evangelium, vocarunt. Sic ergo, quando Johannes Baptista, Apostoli, Septuaginta Discipuli, & Christus ipse prædicarunt, *appropinquasse regnum caelorum*, & Messiam esse exhibitum, vocarunt jam ante vocatos. Vulgata versio & Erasmi reddiderunt, *invitatos*. Syrus itidem duas habet voces ἵνα quod simpliciter est *vocavit, convocavit*, & ἵνα quod propriè significat *constituit certum tempus*, ad quod quis adesse debeat, veluti ad convivium, vel judicium, quæ significatio pulchrè huic loco convenit, quia antequam Messias mitteretur, DEUS per Prophetas tempus missionis determinaverat, & populum suum ad futuras has Filii nuptias invitaverat, ut eò majori alacritate & promptitudine ad illas postea se filterent, sicut in terrenis nuptiis fieri consuevit, ut de illis consanguinei & necessarii longè ante certiores reddantur, postquam jam sunt decretæ, ut eò maturius ad eas se præparent, qui tamen postea sub ipsam nuptiarum horam iterum vocantur, & prioris invitationis admonentur. In Græco utrobique est idem verbum καλέσαι τὸς κληθῆναι, quò monemur eos, qui ante Messiam exhibitum vixerunt, non minus ad has nuptias (licet futuras) esse vocatos, & beneficiorum Messia participes, per hanc vocationem fide acceptam factos, quàm eos, qui post exhibitum Messiam ad has nuptias jam paratas, & præsentis sunt vocati, ac dubio procul *vocandi* verbum Ecclesiæ

fiat in hoc negotio usitatum ex hoc loco est defunctum. Notandum verò hoc loco, quod illi, quorum opera in hominibus ad nuptias Filii sui vocandis Deus utitur, dicuntur *Dei servi*. Quamvis enim in generali significatione, omnes verè pii sint Dei servi, 1. Petr. 2. v. 16. cui in *sanctitate & iustitia serviunt*, Luc. 1. v. 34. tamen hæc appellatio peculiariter tribuitur Concionatoribus & verbi præconibus, qui ut sunt conciliatores Spiritualium nuptiarum, 2. Cor. 1. v. 2. unde dicuntur *amici Sponsi*, Joh. 3. v. 29. ita quoque ad cœlestes nuptias homines vocant, & fidele hac in re servitium Deo exhibent. Sic Paulus sapius se vocat *servum Dei & Christi*, Rom. 1. v. 1. Gal. 1. v. 10. Tit. 1. v. 1. &c. ac in genere de omnibus verbi præconibus dicit, 1. Corinth. 4. v. 1. *Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi*, ubi tamen in Græco est *ὑπηρέτας*; quos etiam alibi vocat *δούλους Dei & Christi*, 2. Tim. 2. v. 24. Quod si ergò sunt *servi Dei & Ecclesie*, 2. Cor. 4. v. 5. ergò non debent *fidei auditorum suorum dominari* 2. Cor. 1. v. 24. nec *κατακαυχέσθαι* Ecclesie, 1. Petr. 5. v. 4. sed potius illi inservire, quod à Romano Pontifice non observatur, qui verbis quidem sese *servum servorum* profitetur, revera autem absolutum in Ecclesiam & fidem imperium sibi arrogat. Ne verò hæc appellatio contentum ministerii in animis impiorum augeat, observandum, quod præcones verbi dicantur quidem servi, sed *Dei, Christi & Ecclesie*, non autem mundi & impiorum, qui pro scabellis pedum ipsos habere volunt, sed noverint injuriam servis suis illatam Deum non relicturum inultam, sicut paulò post in parabola sequetur.

Tertia Judæorum vocatio facta est post Christi passionem, mortem & resurrectionem, de qua in parabola dicitur, quod cum invitati venire recusarint, *Rex iterum emisit alios servos cum hac instructione: Dicit invitatis; ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia mea mactata sunt, & omnia parata. Venite ad nuptias.* Per hos servos quidam intelligunt Johannem Baptistam, & Apostolos, ante Christi passionem in Judæa Evangelium prædicantes. Sed ostendimus superius, illos per priores servos esse intelligendos, proinde per hoc *ταύρους & ἀγνῆς* intelliguntur Apostoli & viri Apostolici, qui post Christi passionem & resurrectionem Judæos ad regnum gratiæ per Evangelii prædicationem vocarunt, quod ipsum etiam ex forma instructionis colligitur. Jubentur enim dicere invitatis, *tauros & altilia esse mactata, & omnia parata*, hoc est, per mortem Messie omnia, quæ ad nuptialis convivii apparatus & sumtus requiruntur, esse acquisita. Antequam Messias veniret, Esaias in futuro dicebat: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium.* Cum Messias jam venisset, nondum tamen in cruce mortuus esset, Baptista, Apostoli, septuaginta Discipuli & Christus ipse dicebant: *Appropinquasse jam regnum cælorum*; sed post Messie passionem & mortem omnia jam consummata & parata esse dicebant, ac nihil aliud superesse, nisi ut invitati compareant, mensæ accumbant, & beneficiis convivii nuptialis fruantur, ne hæc omnia frustra sint parata. Neque verò huic interpretationi obstat, quod Christus in præterito dicit, *Regem emisisse alios servos*, qui dixerint, *tauros & altilia jamdum esse mactata*, Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

cum tamen illo tempore, quo Christus hanc parabolam proposuit, ablegatio illa servorum ac Messie passio & mors nondum fuerit peracta, usitatissimum enim est in Scripturis, res futuras, præsertim proximè instantes, describi verbis præteritis, propter earum certitudinem, ac Pontifices, Scribæ, Seniores & Pharisei, quibus Christus hanc parabolam proposuit, jamdum animo conceperant immane illud scelus, videlicet Messie occisionem, quam etiam post biduum in actum deduxerunt. Expendamus verò singulas hujus vocationis circumstantias. Primò dicitur, quod Rex *παλι, rursum* emisit servos, qui invitatos ad nuptias vocarent. Priorem vocationem contemserant, ac venire ad regias nuptias noluerant, sed nihilominus Rex denuò illos vocat. Commendatur igitur hac in parte Regis benignitas & longanimitas. Potuisset jure offendi vocatorum ingratitude, qua & Filii sui nuptias, & splendidum apparatus, & majestatem suam regiam, & vocationem gratuitam contemserant, ideoque in posterum illos sibi relinquere, quibus nihil opus habebat, & in eorum locum alios statim vocare, sed non agit cum ipsis *juxta meritum*, quos *præter meritum* ad nuptias prius vocaverat. Deinde mittit *alios servos*, eosdem quidem Apostolos, sed per virtutem Spiritus Sancti defuper in ipsos effusi mutatos in viros alios, & cum illis novos servos non paucos, Stephanum, Paulum, Barnabam, &c. qui post Christi resurrectionem denuò eos monuerunt, ut ad nuptias Filii venirent, hoc est, ut Evangelium de Christo reciperent, & Ecclesie ejus sese conjungerent. Alios ergò mittit servos propter majorem auctoritatem, ut ob consensum cum prioribus invitatos magis permoveret. Quidam statuunt per repetitam hanc missionem, nil aliud significari, quàm quod sapius & per complures Dei servos Judæi ad regnum gratiæ fuerint vocati, sed cum prior vocatio temporari ante Christi passionem & resurrectionem optimè congruat, ideo ad ejus distinctionem rectè duplex illa vocatio accommodatur. Quemadmodum enim in præcedente parabola dicitur, quod Dominus vineæ in secunda servorum ad colonos ablegatione *alios servos miserit plures prioribus*, ita quoque idem in hac parabola Christus docet, videlicet quod Judæi post Christi passionem & resurrectionem per plures Evangelii præcones fuerint ad regnum Messie invitati, quam ante Christi passionem, quod iterum ad commendandam divinam benignitatem, cum hominum malitia quasi certantem, plurimum facit. Tertio proposuit ipsis certam instructionis formulam, in qua splendidissimum convivii sui apparatus enumerat, & omnia parata esse monet, ut convivas magis alliciat, ipseque intelligant, Regi maximoperè curæ cordique esse, ut veniant. *Dicit invitatis: Ecce prandium meum paravi.* Syrus habet verbum *בון* bonum & aptum reddidi meum prandium. Meum est ratione apparatus, vestrum erit ratione usus & usus. In ipso igitur paratarum nuptiarum articulo invitatos jubet urgeri, ut sine ulteriore mora veniant, jam enim nuptiale prandium esse paratum, mensas esse instructas, ac dapes regales eisdem impositas. *Tauri mei*, inquit, *& altilia sunt mactata.* Indicatur, quod convivium non possit diutius differri, cum cibi ad illud conquiriti & parati non possint diu asservari. Per *tauros* intelliguntur vi-

tuli vel juveni, qui castrati quidem essent, nondum tamen aratra traxissent, quos in deliciis apud Judæos fuisse colligitur ex Gen. 18. v. 7. 1. Reg. 28. v. 24. Luc. 15. v. 23. Per τὰ στήθια intelliguntur animalia, quæ accuratè aluntur, ut pinguescant, & magis sint idonea ad ciborum suavitatem, quod sagina comparari solet, à στήθια cibo, nutritio, sicut altitia, qua voce interpres vulgatus Græcum expressit, ab alendo dicuntur. Athenæus lib. 9. dixit μούσες στήθιας, qui sunt iidem cum στήθιας. Eadem voce utuntur LXX. Jerem. 46. v. 21. μούσοι στήθιας τῶν Φοινίκων, ubi in Hebr. est מן מן vituli saginationis, qui sunt in saginario, vel domo saginationis, Jud. 6. v. 25. λάβει τὸ μούσον τῶν στήθιας, ubi in Hebr. est מן מן, quod significat bovem crassorem, qui ad perfectam atatem, & magnitudinem corporis excrevit. Syrus reddit מן מן, saginata mea, (quomodo etiam Hilarius τὰ στήθια vertit) à radice מן מן impinguit, saginavit. Potest igitur hoc accipi per figuram hendiadys tauri mei & saginat a mea, hoc est, tauri mei saginati sunt mactati, sicut in convivio in honorem reducis filii à patre extracto jubetur mactari μούσες στήθιας, vitulus saginatus, Luc. 15. v. 23. qua phrasi Act. 14. ταύροι καὶ στήθια, tauri & corone dicuntur tauri coronati. Confirmat hanc expositionem nostram locus, Ezech. 39. v. 18. ubi in Hebræo est בשר פרים taurorum Basan, hoc est, pinguium, quod vulgata reddidit taurorum & altitium & pinguium, hoc est, ad pinguedinem saginatorum, LXX. οὐ μούσοι ἐστὶν ἀμείνοι. Quidam, statuant per tauros quadrupedia, per altitia omnis generis significari, quæ interpretatio confirmari posse videtur ex eo, quod 1. Reg. 4. v. 23. ubi in descriptione mensæ regie Salomonis in Hebræo fit mentio altitium ad præsepia, vulgatus interpres addidit avium altitium, propterea quod altile existimarit positum pro alatile, sed cum hujus significationis apud probatos autores non occurrunt idonea exempla, id eò priorem explicationem præferimus. Dicuntur autem tauri & altitia, hoc est, tauri altiles τῶν δούλων, mactati. Δούλον, propriè est sacrificare. Quia verò sacrificiis non solum in populo Dei, sed etiam apud Gentiles solennia convivia, vel auspicii vel appendicis loco addi fuere solita, inde hoc verbum ad alias etiam epulas fuit tractum, ut simpliciter significaret mactare, Joh. 10. v. 10. Act. 10. v. 13. sicut etiam Syrus hoc loco simpliciter reddidit per מן מן mactavit, sed hoc loco propria verbi significatio optimè retineri potest, qua pro mactatione animalium ad sacrificia usurpatur, ut in mystica explicatione videbimus. Quod ergò Rex convivis ad nuptias invitatis nunciari jubet, tauros & altitia esse mactata, illud facit ad exprimendum tum splendorem & magnificentiam, tum delicias & jucunditatem ciborum apponendorum. Non enim unum duntaxat taurum, qui gregariis nuptiis sufficere potuisset, sed plures tauros dicit mactatos, & eos quidem altiles, sive saginatos, ut caro ipsorum palato convivarum nuptialium magis sit jucunda. Per tauros etiam synecdochicè intelliguntur alia animalia, quæ ad mensam regiam, præsertim verò regales filii nuptias saginari & mactari consueverunt, ut vituli, arietes, cervi, caprea, & alii cibi venatu capti, sicut Salomonis mensa regia describitur, 1. Reg. 4. v. 23. Cibus Salomonis erat per singulos dies decem boves pingues, & viginti boves

pascuales, & centum oves, excepta venatione terrarum, caprearum atque bubalorum, & altitium ad præsepia. Esa. 25. v. 6. in descriptione apparatus additur, quod futurum sit convivium, non solum pinguium medullatorum, sed etiam vini defecati, sicut etiam Proverb. 9. vers. 2. (ex quo loco hæc parabola ex parte videtur desumpta) de Sapia dicitur, quod immolaverit victimas suas, miscuerit vinum suum, & proposuerit mensam suam. v. 3. ac misere ancillas suas, ut vocarent ad altas arces civitatis. v. 5. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Hisce enim omnibus nil aliud significatur, quam splendidus apparatus, & opipara convivii copia, quod nil eorum desit, quæ ad splendorem & delicias quidquam facere possunt, unde in genere additur: Et omnia sunt parata, nil quicquam omisi, quod ad splendidissimum & lautissimum convivium requiri potest: hoc enim in nuptiis præsertim regis observatur, ut cibi magnifici, exquisitissimi & lautissimi undique comparentur. Venite ergo ad nuptias. dētre, agite, est particula amicè invitandi & exhortandi. Syrus reddidit ונצטו, à radice ונצטו venit. Venite, non ad laborem, non ad dolorem, non ad angorem, sed ad nuptiarum splendorem & honorem, ad delicias & lautitias, ad nuptialis convivii celebritatem, & ferculorum exquisitissimorum uberatatem. Venite eis τὰς γάμους in plurali, ad prandium & cenam nuptialem. Qui olim ad has nuptias invitati fuerunt, multis suspiciis tempus nuptiarum expectabant, nunc præsentibus nuptiis paratum prandium convivas expectat. Per hanc instructionis formulam innuitur 1. Omnia, quæ ad regnum Gratiæ in hac vita, & regnum Gloriæ in futura vita requiruntur, jam ante à Deo nobis esse parata, neque hic requiri, vel nostra merita, vel nostros ad spiritualis hujus convivii instructionem sumtus. Quando enim Rex Filio suo nuptias instruit, tum Ipse omnia necessaria parari curat, nec ab invitatis requirit, ut sporulas suas conferant, quinimò si rusticus quispiam suos caseolos, suaque allia ad regales epulas secum afferre vellet, Rex sibi suoque convivio illud ignominiosum duceret: ita quoque ad nuptiale Patris cœlestis epulum, quò tum in hac, tum in futura vita fruimur, non requiruntur nostra merita, nostræ apparatus, sed omnia in eo gratis nobis exhibentur, vocatio est planè gratuita, nullis conditionibus gravis & onerata, unde Esa. 55. vers. 1. dicit Rex Cœlestis: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Venite, emite absq. argento, & absq. ulla commutatione lac & vinum. vers. 2. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? &c. Ex gratia paravit DEUS mensam in conspectu nostro, Psalm. 23. v. 5. ex gratia paravit bona opera, in quibus ambulemus, Eph. 2. v. 10. ex gratia paravit nobis regnum à constitutione mundi, Matt. 25. v. 34. ex gratia paravit nobis in celo locum, Joh. 14. v. 2. Omnia ergo nobis ex gratia à Deo sunt parata. Quando igitur Rex Cœlestis invitatis tempore nuptiarum nunciari jubet: Ecce prandium meum paratum est, omnia sunt parata, sensus est: Paravi & exornavi mensam Scripturarum, ut Autor optimus imperf. hom. 41. interpretatur, impletæ sunt omnes prophetiæ & figura V. Test. Mesiaæ adventum respicientes, reserata sunt Scripturarum arcana, pa-

rata

rata est omnibus mea gratia, cum per mortem Filii omnis ira sit sublata; Diabolus est conculcatus, mors occisa, mundus victus, infernus destructus, promerita peccatorum remissio, adducta perfecta iustitia, praesto est donorum Spiritus sancti copia, omnibus affertur *yo deo*, pax, gaudium in Spiritu sancto, coelum apertum, vita & salus aeterna omnibus parata. *Omnia sunt parata*, quia carnem Filii mei dabo manducandam in cibum vivificum, sanguinem eius dabo bibendum in potum vivificum, & Spiritum meum effundam super omnem carnem, qui fiet in credentibus fons aquae salientis in vitam aeternam Joh. 4. vers. 14. 2. Omnia ad regnum gratiae & gloriae necessaria esse nobis parata in Christo, qui per tauros occisos parabolice hic describitur. Chrysothomus per *saginata* intelligit Prophetas, qui fuerunt Spiritu sancto repletis; per *tauros* eos, qui simul fuerunt Prophetae & Sacerdotes, sicut Jeremias & Ezechiel. Ut enim tauri duces sunt gregis, ita & Sacerdotes Principes sunt populi. Greg. per *tauros* intelligit Patres V. T. qui portarunt *jugum legis* Act. 15. 10. per *altitia* Patres N. T. qui uberius accepert gratiam, & quasi spiritaliter *saginata* fuerunt. Theophyl. per *tauros* ipsum V. T. per *altitia* novum intelligit. Alii per *tauros occisos* intelligunt S. Martyres, per *altitia* viros *saginatos* Spiritus sancti donis, hi tauri, haec altitia inferuntur convivio nuptiali, ut *saginata* saginent nos suis exemplis. Hilar. can. 22. in Matth. *Tauri saginati gloriosa Martyrum species est, qui confessione Dei, tanquam hostia electa sint immolati; saginata vero sunt homines spirituales, tanquam caelesti pane ad evolandum aves parati, ceteros accepti ubertate expletura.* Sed quia de ipso caelestis convivii apparatu hic agitur, igitur per *tauros saginatos & mactatos* rectius ipse Christus intelligitur, sicut etiam Luc. 15. v. 23. per *vitulum saginatum* praefiguratur, cujus mactatione tota domus caelestis exultatur, in cujus loci commentario Beda sic scribit: *Vitulus ille in corpore & sanguine Dominico & offertur Patri & pascit totam domum.* Conferitur autem Christus tauris altilibus, tum quia per sacrificia taurorum & boum in V. T. Jud. 6. v. 25. 1. Paral. 25. v. 26. e. 29. v. 21. 2. Paral. 29. 21. Job. 42. v. 8. Pf. 50. v. 13. Heb. 9. v. 13. c. 10. 4. ac per *vitulum tenerimum & optimum*, quem Abrahamus in adventu hospitium mactavit, Gen. 18. v. 7. fuit praefiguratus, tum quia in passione sua laboravit, & jugum poenarum peccatis nostris debitarum in se suscepit. Quidam addunt, quod fuerit etiam avis in alnum subvolans in sua ad caelos ascensione, sed ostendimus superius, per altitia hic non intelligi aves, sed animalia *saginata*. Omnia igitur in Christo nobis sunt parata, ipse nobis a Deo factus est *sapientia & iustitia & sanctificatio & redemptio* 1. Cor. 1. vers. 30. ipse est *agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi* Joh. 1. vers. 29. ipse est *cervus matutina* Pf. 22. v. 1. ipse est *caprea & hinnulus cervorum super montes* Cant. 2. vers. 9. & 17. ipse est *aries*, quem Abrahamus loco Isaac mactavit Genes. 22. vers. 13. ipse est *gallina congregans pullos suos sub umbra alarum suarum* Matth. 23. v. 36. ipse est *panis vivus, qui de caelo descendit, ut det vitam mundo* Joh. 6. vers. 33. ipse est *vinum illud novum, quod homines exultat & Deum* Jud. 9. vers. 13. Matth. 9. vers. 17. ipse est *fons aquae viva, quam quisquis biberit, non sitiet in aeternum*, Joh. 4. 14. breviter, ipse nobis in hoc nuptiali convivio est omnia. Ipse est *Filius Regis*, cui nuptiae parantur; ipse est *Sponsus*, cui Sponsa quaeritur; ipse est *praeo*, qui vocat ad nuptias; ipse est *viam*, per quam ad nuptias venit; ipse est *lux* omnem discedens caliginem, ut viam ad nuptias inveniamus; ipse est *vestis nuptialis*, qua indui nos oportet, ut Regi caelesti placeamus; ipse est *cibus & potus* lautissimus, qui in hoc nuptiali convivio nobis proponitur. Quisquis igitur extra Christum alia fercula quaerit, vel aliis monstrat, is invenit & obrudit aliis ea, quae non possunt satiari Pf. 16. v. 4. Esai. 55. v. 2. & c. 3. Christum *sua passione & morte* nobis hoc promeruisse, ut in ipso omnia ad salutem necessaria possimus invenire, ideo enim confert se tauris occisis, & ut in Graco est, ad sacrificium immolatis, quia merita, passione & morte Christi parata, fuerunt sumptus huius convivii nuptialis; sanguis, quem in ara crucis effudit, quando Patri suo in *odorom & victimam suavitatis sese obtulit* Eph. 5. vers. 1. fuit earum illud precium, quo comparata fuere omnia, ad apparatus caelestis epuli necessaria. Inde Apostolus 1. Cor. 5. v. 7. de Christi passione agens utitur eadem vocula, qua hic in parabola ponitur. *Pasciba nostrum pro nobis et ubi Christus*, sicque a sacrificio crucis Christi nuptiale hoc convivium impensas suas accepit. Haec etiam causa est, quare in hac tertia demum Judaeorum vocatione servi dicere jubentur, *tauros & altitia esse mactata*, quia inter priorem & hanc vocationem intercesserat Christi mors, qui ut verus Dei agnus in cruce fuerat immolatus, cujus passione & morte omnia sunt consummata. Ut autem ex eo immensa Dei benignitas elucet, quod etiam post nefariam Messiae occisionem populum Judaicum ad nuptias Filii vocat, ac potius attendit, quod Christus pro ipsis mortuus, quam quod ipsi met Christum occiderint: ita quoque verbis illis praesertim, *omnia iam parata sunt & consummata*, tacite admonentur, ultimam hanc fore ipsorum vocationem, quam si contemnere perrexerint, aliud quid ipsis fore paratum; excidium scilicet atque exitium. Potest etiam hoc notari, quod in hoc convivio sint, non tantum quae famem sedare possint, sed etiam quae delicias exhibent, videlicet altitia ad majorem ciborum suavitatem *saginata*, quo significatur, in mensa doctrinae Evangelicae & Scripturarum sacrarum non tantum animae cibum, sed etiam interioris hominis delicias proponi, ac praesto in ea esse, quod famelicis nutriat ac delicatioribus oblectet.

Atque haec dicta sint de trina Judaici populi vocatione, qua tribus distinctis temporibus, videlicet tempore V. T. ante Messiae adventum, deinde post Messiae adventum ante ipsius passionem, ac denique post ipsius passionem & resurrectionem Judaei ad nuptias Regis caelestis fuerunt soleniter vocati, ac divina gratia ipsis oblata. Quomodo vero erga illam vocationem sese gesserunt? num promptis animis eam acceptarunt & ad nuptiale convivium festinarunt? minime vero, sed pudenda ingratitude eam contempserunt, & oblatam gratiam repudiarunt. *Trina enim vocationi* opponit Christus *tria eorum genera*, qui vocationi non responderunt, nec in nuptiali convivio comparuerunt. Prima classis complectitur *volentes*,

Atque haec dicta sint de trina Judaici populi vocatione, qua tribus distinctis temporibus, videlicet tempore V. T. ante Messiae adventum, deinde post Messiae adventum ante ipsius passionem, ac denique post ipsius passionem & resurrectionem Judaei ad nuptias Regis caelestis fuerunt soleniter vocati, ac divina gratia ipsis oblata. Quomodo vero erga illam vocationem sese gesserunt? num promptis animis eam acceptarunt & ad nuptiale convivium festinarunt? minime vero, sed pudenda ingratitude eam contempserunt, & oblatam gratiam repudiarunt. *Trina enim vocationi* opponit Christus *tria eorum genera*, qui vocationi non responderunt, nec in nuptiali convivio comparuerunt. Prima classis complectitur *volentes*,

secunda negligentēs, tertia persequentēs. De primo contemptorum genere dicit: *Et nolabant venire.* 2. ponitur hoc loco adverbivè. Rex fecit quidem nuptias filio suo, & emisit servos suos, ut vocarent invitatos ad nuptias, sed illi noluerunt venire, & oblati beneficiis frui. Per hocce nolentes intelliguntur Epicuræi, contemptores verbi & contumaces peccatores, qui ex contumacia & destinata malitia vocationem ad cœlestes nuptias repudiant, ac idololatrios cultus puritati doctrinæ cœlestis, vel carnales suas cupiditates studio pietatis præferunt, & quando ad poenitentiam ab operibus mortuis invitantur, obsequi renuunt, tenebras magis amantes, quam lucem Johan. 3. v. 19. De hoc hominum genere dicit Christus Matth. 23. vers. 36. *Volui vos congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & nolistis.* Luc. 19. vers. 14. dicunt: *nolumus hunc regnare super nos, imitati exemplum majorum suorum Jerem. 44. vers. 16. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te.* vers. 17. *Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro.* De eodem hominum genere dicitur Joh. 1. vers. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* cap. 3. vers. 19. *Lux in mundum venit, & homines dilexerunt magis tenebras, quam lucem.* Typus eorum proponitur in filio natu majore Luc. 15. v. 28. qui ad convivium Patris nolebat introire, in quem locum Chrysológus serm. 5. sic commentatur: *Venit Judæus ad domum Patris, hoc est, ad Ecclesiam, & stat foris, paternis bonis se eximit, paternis gaudiis se excludit.* Hic verò expende mecum extremam istorum hominum cœcitatē & perversitatē, cum immensa Dei vocantis benignitate quasi certantem. 1. Qui ad convivium illos vocat, non est plebejus aliquis homo, sed Rex & dominus. 2. Vocat eos non ad luctum & laborem, sed ad convivium. 3. Non ad quaecunque convivium, sed ad convivium nuptiale, quod majorem requirit apparatus, quam vulgare aliquod epulum. 4. Vocat ad nuptiale convivium ejusmodi, quod Rex filio suo parat, non alicui ex aulicis vel ministris. 5. Vocat per ministros suos regios, quibus certam invitationis formam præscribit, ut sic ipsius Regis verbis vocentur. 6. Denunciat illis, quod omnia sint parata, nullas ex ipsorum parte requiri impensas, nullos faciendos ipsis esse sumtus. 7. Vocat τὸς κληθεῖς, quos jam antè invitaverat, sicque satis maturè de futuris nuptiis ipsos præmonuerat. 8. Non semel, sed pluribus vicibus eos vocat, quorum enim præsentiam in convivio nuptiali maxime desideramus; illos bis tervè vocamus. 9. Mittit subinde alios servos, ut intelligant rem seriā à se agi, seque ipsorum præsentiam seriò expetere. 10. Vocat eos primo loco tanquam honestiores, digniores, sponsum consanguinitate attingentes. Fuit ergo ab omni ratione alienum, & præter omnem Regis & servorum ejus expectationem accidit, quod hi vocati venire noluerunt. *Quid enim dementius, ait Chrysológus in hoc loco, quam cum ad nuptias voceris, respicere, nam quis in nuptias venire non optaret, & eas quidem Regis, quas amantissimo filio facit? Sed hæc dementia, hæc perversitas in Judæis animadvertitur.* 1. Ipsi à Rege Regum & Do-

mino dominantium ad Regnum Messie fuere solenniter vocati. 2. Vocati fuere non ad portandum legis jugum, ut in V. T. sed ad spirituales & cœlestes epulas, ad participationem beneficiorum, Messie passione & morte partorum, ut in hac & futura vita illis fruerentur. 3. Vocati fuere ad nuptias cœlestes. 4. Quas Deus Filio suo paraverat, humanā Naturam ipsi personaliter uniendo. 5. Vocati erant per Joh. Baptistam, Apostolos, septuaginta discipulos, imò Messiam ipsum, quibus Deus *verba in os posuit* Deut. 18. v. 18. 6. Denunciari ipsis curavit, omnia in regno Messie ex gratia ipsis esse parata, sine meritis operum, remissionem peccatorum, justitiam, donationem Spiritus sancti, salutem & vitam æternam ipsis offerri. 7. Jam antè erant invitati per oracula Prophetarum de venturo Messia, antequam præsto essent nuptiæ, ipsorum erant promissæ Rom. 9. v. 4. *Abrabæ & majoribus ipsorum dictæ erant promissiones* Galat. 3. v. 16. inde vocantur filii Testamenti, quod disposuit Deus ad Patres ipsorum Act. 3. v. 24. imò filii regni ac nuptiarum regiarum Matth. 8. v. 12. 8. Non semel, sed pluribus vicibus invitati fuerunt in V. & N. T. ante Messie passionem & post illius passionem, mortem & resurrectionem. 2. Par. 36. 15. Matt. 23. v. 33. 9. Missi ad ipsos fuere subinde alii atque alii præcones, qui munus vocandi quam diligentissimè obiverunt, & cumlachrymis eos obsecrarunt, ut venirent. Matth. 3. v. 2. Marc. 6. v. 12. Luc. 3. v. 3. c. 9. v. 6. c. 10. v. 9. Act. 20. v. 31. &c. 10. Vocati sunt primo loco, antequam gentiles vocarentur Matth. 10. v. 5. Act. 13. v. 46. erant enim cognati Christi secundum carnem, sed venire noluerunt. Hoc verò non est accipiendum de iis, qui vixerunt ante Messie adventum, illorum enim plerique maximo desiderio futuras illas nuptias expectarunt, sed de illis, qui post Christi adventum vixerunt, quibus per Joh. Baptistam, Apostolos & Christum ipsum prædicatum est Evangelium, & in eo oblata Dei gratia & Messie beneficia, sed plerique illorum noluerunt venire, hoc est, noluerunt in Christum credere, ipsum pro Messia recipere, fide ejus beneficia sibi applicare, Ecclesie Christi inseri, &c. Verum quidem est, quod aliqui Judæorum, tum ante Christi passionem, tum post eam Evangelium de Christo susceperint Matth. 3. vers. 5. Act. 2. vers. 41. cap. 21. vers. 20. sed comparatione reliquæ multitudinis illi fuere pauci, maxima pars populi Judaici, præsertim verò Sacerdotes, Scribæ, Seniores ac reliqui Proceres CHRISTUM & Evangelium ejus repudiaverunt, ac reliquie duntaxat, videlicet Simeon, Hanna, Zacchæus, & ipsi Apostoli, qui non tantum fuere servi ad nuptias invitantes, sed etiam convivæ, unde filii thalami nuptialis Matth. 9. vers. 15. reliquæ inquam ad Christum sunt conversæ, ad gaudium cœlestium nuptiarum adductæ & salvatæ Rom. 11. v. 5. Ad nuptias hujus sæculi homines undique concurrunt, etiam illi, qui non sunt invitati, si aditus ipsis permittatur, maxime si absque impedimento accedere liceat. Idem multò magis in cœlestibus hisce nuptiis fieri æquum erat, quæ terrenis tantò sunt præstantiores & digniores, quantò cælum sublimius est terrâ, sed & olim apud Judæos & adhuc hodie apud nos locum habet querela illa Christi: *Et nolabant venire.*

Alterum eorum, qui non comparent in nuptiis, ad quas invitati erant, classem complecti *οἱ ἀμελεῖσάντες, negligentes*. Hi non videntur simpliciter recufasse, sicut priores, sed ex incuria & negligentia, ob interventum aliorum negotiorum vocationi non respondisse, sicut in vocatione ad terrenas nuptias fieri consuevit, ut tempus earum nobis quandoque non advertentibus præterlabatur, atque ex incuriâ in illis non compareamus. Quia verò incuria illa cum quodam contentu solet esse conjuncta, (si enim nuptiæ majoris æstimantur, majori curâ & sollicitudine tempus earum observaretur) idèd Syrus illud *ἀμελεῖσάντες* reddidit *וְכֵן שְׁרָעוּרֵי, contempserunt*, mutato in *וְכֵן* juxta vulgatum Syrorum mortem; sicut etiam Jerem. 4. versic. 17. inobœdientia Israelitarum vocationi divinæ non obsequentium, sed ad iracundiam Deum provocantium verbo, *ἀμελεῖν* exprimitur, ex quo apparet, Deum longè aliter judicare de supina illa negligentia, quàm multum spirituum nuptiarum præterlabi permittunt, quàm nos homines, qui pro leviculo errato eam æstimamus. Addit etiam Christus in parabola *causam*, ob quam factum fuerit, ut neglexerint seu non curarint, nec tanti fecerint nuptias, ut venirent. *Abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam*. Intenti fuere aliis rebus & negotiis, quæ ipsis magis curæ cordique fuere, quàm nuptiale convivium. Unus abiit *εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν in rus suam*; vulgatum reddidit, *in villam*, quæ propriè domus est in agro, videlicet vel ut agrum suum coleret, vel servorum in agro labores, tanquam *ἐργασίας* promoveret, vel intuitu agri & proventuum ejus sese oblectaret, erat enim *ἴδιος* proprius ager, quem non conduxerat ut colonus, sed possidebat, ut proprietarius; alius vero ad negotiationem suam abiit *εἰς τὴν ἐμπορίαν αὐτοῦ ad mercaturam suam*, ut ex ea lucrum quæret, quo postmodum agros & prædia sibi comparare posset. Syr. reddidit, *abierunt, est qui in villam suam, & est qui ad negotiationem suam*, quæ distributiva locutio etiam superius Matth. 21. v. 35. ab interprete fuit usurpata. Luc. 14. vers. 18. in parabola huic nostræ cognata Christus tres eorum classes facit, qui aliis negotiis se impediri patiuntur, quò minus ad convivium, ad quod vocati erant, veniant. *Primus dixit servo invitanti: Agrum emi, & necesse habeo exire, & videre illum, rogo te, habeas me excusatum.* vers. 19. *Alter dixit: juga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te, habe me excusatum.* vers. 20. *Et alius dixit: uxorem duxi, & ideo non possum venire.* Scopus utrobique est idem, videlicet perstringere eos, qui terrenas dignitates, opes & voluptates, sive ut Apostolus loquitur 1. Johan. 2. vers. 16. *Concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ* vocationi ad cœlestes nuptias præferunt, quorum typus proponitur in Esavo, qui propter cibum jus primogenituræ negligebat Gen. 25. v. 34. Quid enim omnia terrena aliud sunt, quàm periturus corporis cibus, qui propter illa negligunt cœlestia beneficia, quæ Christus nobis promeruit, ac Deo Patri suo nos primogenitos fecit, illi meritò cum profano Esavo propter escam primogenita sua vendente conferun-

tur, Hebr. 12. vers. 16. In speciali autem applicatione videtur diversitas quædam occurrere, quæ tamen ad principalem scopum facillè applicari potest. 1. Glossa ordinaria ex Gregorio in hoc loco dicit: *In villam ire, est terreno labori immoderate incumbere; negotiari, est terrenis lucris inhiare.* 2. Per *abientes in agrum* quidam intelligunt eos, qui curâ rei domesticæ se impediri patiuntur, quò minus ad nuptias veniant, ex agro enim vitæ & sustentationis subsidia quæruntur, per *abientes ad negotiationem* eos, qui sequuntur mundi pompam & gloriam, *ἐμποροὶ* enim sunt in mundo dignissimi & maximi, cum pecuniæ omnia obœdiant. 3. Possunt etiam per *abientes in agrum* intelligi, qui sectantur delicias & voluptates hujus sæculi, quia intuitus fertilis agri magnoperè oblectat visum Siracid. 40. vers. 22. per *abientes ad negotiationem*, qui opibus congerendis unice sunt intenti. 4. Quid si per *abientes ad negotiationem* intelligamus eos, qui inhiant opibus adhuc acquirendis; per *abientes ad villam*, qui malè delectantur in opibus jam ante partis & acquisitis? 5. Quidam per *abientes in villam* intelligunt vacantes lucro labore manuum suarum acquirendo, quod sectabantur Judæorum minores ac viliores; per *abientes ad negotiationem* eos, qui ex ingenio seu industria lucrum quærunt, quod sectabantur Judæorum Majores ac Proceres, qui mercaturam in ipsum templum receperant Matth. 21. vers. 12. 6. Hilarius can. 22. in Matth. sic exponit: *Aliqui invitatorum ambitione sæculi tanquam in agro occupabantur, plures vero ob pecuniæ cupiditatem negotiatione detinebantur.* Quidquid sit, ac quocunque modo applicatio instituat, semper manet principalis scopus, quòd per *abientes in villam suam & ad negotiationem suam* intelligantur, qui honores, opes & voluptates hujus sæculi præferunt vocationi ad cœlestes nuptias. Tales fuerunt inter Judæos summi Sacerdotes, Scribæ, Pharisei & Seniores, quorum avaritiam & superbiam graviter Christus perstringit Matth. 23. v. 6. & 14. Luc. 11. v. 43. c. 16. v. 14. qui in ipso templo negotiationem suam exercebant, ac de quæstu & exultatione sua actû judicabant, si Christum cum Evangelio suo reciperent. Tales etiam multos in populo Judaico fuisse colligitur ex seriis Christi admonitionibus, quibus ab avaritia suos auditores revocat Matth. 16. v. 26. Luc. 12. v. 15. c. 16. v. 13. c. 22. v. 34. &c. ac præcipua causa, propter quam Judæi Christum cum suo Evangelio recipere noluerunt, fuit ea, quod metuebant, ne in discrimen suæ regionis, tranquillitatis publicæ, dignitatis & fortunarum venirent, à Romanis hoc nomine bello impetiti, quod novum Regem agnoscerent. Nos vero ipsorum exemplo moniti sedulò caveamus, ne terrena cœlestibus, corporalia spiritualibus, transitoria æternis, &c. præferamus, id quod multis & ferè infinitis modis contingere potest, videlicet, si propter negotia hujus vitæ verbi auditum ac meditationem, præsertim vero Sabbati sanctificationem, negligamus, si patiamur *solicitudine hujus sæculi & fallacia divitiarum* suffocari in cordibus nostris verbum, quò minus fructum perferat Matthæi 13. versic. 22. si in congerendis opibus mandata Dei postponamus, si corde nostro *divitiis adhaeremus* Psal. 62. vers. 11.

v. 11. si propter honores, dignitates & divitias confessio Evangelii abijciatur, si ob conservandam rem familiarem non discedatur ex illis locis, in quibus idololatria regnat, si propter retum privatæ tum publicæ administrationem salus Ecclesiæ negligatur, si nimis anxîa sollicitudine rei familiaris torqueamur, & omne tempus perire arbitremur, quod non ad quæstum faciendum impendatur, si non observetur regula Apostolica 1. Cor. 7. v. 29. *Qui habent uxores, sint tanquam non habentes. v. 30. Qui sicut, tanquam non sicut, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui sicut, tanquam non possidentes. v. 31. Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, &c.* Quilibet vero cogitet, si studium rei domesticæ & mercaturæ, nisi longissimè postponatur curæ rerum spiritualium, ac freno pietatis & caritatis coërceatur, à convivio nuptiali cœlesti nos abstrahat, quid statuendum sit de illis, qui libidinibus & voluptatibus toti sunt immergi, qui avaritiæ suæ habenas eo modo laxant, ut usuris, imposturis, furtis, rapinis securè indulgeant, qui corpore quæstum faciunt vel mercenariam militiam sectantur? Neque enim in agrum abire, vel mercaturam exercere est res in suo genere vitiosa & damnabilis, hæc per se non sunt peccata, ait Autor op. imperf. hom. 41. in Matth. *sed tu preferendo ea Deo facis esse peccatum, libidines verò sectari, rapinas exercere, est in se ac per se damnabile.* Quilibet etiam cogitet, quàm absurdum & præposterum sit, propter terrena, quæ ad punctum temporis durant, negligere cœlestia, quæ in æternum permanent! Perinde hoc est, ac si quis propter obolum negligat mille aureos. Miseri illi homines τὰ ἐπιγεια φρονεῖτες, ut Apostolus eos vocat Phil. 3. v. 19. vocantur à Deo ad nuptias, hoc est, ad honorem, ad gaudium & quietem, ipsi vero eligunt ire potius ad villam & negotiationem, hoc est, laborem & molestiam præferunt quieti. Quid aliud est cura rerum terrenarum, quam labor & dolor? quid aliud negotiatio hujus vitæ, quàm afflictio Spiritus? An non sapius mercatoribus usui venire videmus, ut unâ horâ deperdant, quod longo tempore maximis cum sudoribus & periculis congregarunt? id ipsum accidit omnibus, qui corde suo terrenis adherent, dum terrenis inhiant, simul cœlestia & terrena uno momento amittunt. Caveamus proinde sedulo, ne præpostero terrenorum amore impediri nos patiamur à gaudiis cœlestium nuptiarum. *Amor rerum terrenarum est viscus spiritualium pennarum.* Sicut uno oculo non possumus simul cœlum & terram intueri, sic non possumus corde nostro simul terrenis & cœlestibus adherere. Luc. 14. v. 26. unde requiritur *abnegatio, omnium renuntiatio, cordis à terrenis abstractio, &c.* Matth. 16. v. 24. Luc. 14. v. 14. 33.

Tertia classis renuentium ad nuptias venire continet *persequentes.* Reliqui verò tenuerunt *servos ejus & contumeliis affectos occiderunt.* Hi contempti addunt ἑσθῆν καὶ φόρον. Commemorantur enim tria injuriarum genera, quibus Regios ministros affecerunt. Primum est *negatio, τὸ παρῆσθαις* violentæ comprehensionis & detentionis significationem obtinet, ut superius ostendimus. Sensus igitur est, quod non solum vocationem Regis contempserint, sed etiam

servis ejus, per quos vocati erant, vim intulerint, in carcerem eos concluderint, docendi & vocandi libertatem ipsis ademerint, ac quibus potuerunt modis eos domarint & subjugarint. Alterum est ἑσθῆς. Postquam eos apprehenderunt, & in suam potestatem redegerunt, omnis generis *contumeliis eos affecerunt,* accularunt eos hæreseos, seditionis & aliorum scelerum, à quibus tamen fuere alienissimi; hæc enim ἑσθῆς Matth. 5. versic. 11. per τὸ ὀνειδῶς opprobrium exponitur. Syrus reddidit per ἑσθῆς vilipendit, ignominia affecit, maledixit, quo verbo in descriptione passionis Dominicæ utitur Luc. 18. versic. 33. Tremellius reddidit *dolore affecerunt,* videlicet per contumelias & maledicta. Tertium est φόρος. A verbis ignominiosis ad verbera, imò cædem progressi fuerunt, ac contumeliis prius affectos postmodum occiderunt, qui fuit ultimus impietatis & crudelitatis gradus, quia *corpus quidem persecutores occidunt, animam vero occidere non possunt* Matt. 10. versic. 28. Syrus hic eodem verbo utitur, quo mactationem taurorum ad nuptiale convivium prius expressit, ergo dubio procul vocationem ad nuptias ludibrio habuerunt dicentes: *Suaves nobis nugas de regalibus nuptiis nunciatis, quarum causa tauri & altaria sint mactata, mactabimus vos ipsos, ut apparatus convivii sit splendidior: comprebimus in illis nuptiis, si prius Regi renunciaveritis nostrum adventum, & quæ fuere hujus generis contumeliæ & injuriæ consimiles.* Quidam per τὰς δυνάμεις εὐνοίας intelligunt eos, qui bonas cogitationes à Spiritu sancto per verbum in cordibus accensas suffocant. Sed hi contemptores non dicuntur vocationem, sed ministros vocantes interfecisse, postquam eos prius apprehenderant & variis contumeliis affecerant, id quod de suffocatione cogitationum accipi nequit. Adde quod illi, qui bonas cogitationes per vocationem in cordibus ipsorum accensas suffocant, ad secundam potius contemptorum classem pertinent, in quibus bonum semen verbi per sollicitudinem hujus seculi & fallaciam divitiarum, veluti per spinas quasdam suffocatur. Matth. 13. v. 22. Marc. 4. versic. 19. Luc. 4. versic. 14. Ostendit etiam ipse Christus Matth. 23. versic. 33. ubi commentarius hujus vaticinii proponitur, de propriè dicta vocantium servorum cæde illud esse accipiendum. *Ecco, inquit, ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitur in Synagogis vestris, & persequimini de civitate in civitatem, ex quo loco etiam colligi potest, de quibus servis Christus in hoc parabola membro loquatur.* Quidam exponunt de Johanne Baptista, qui ab Herode in carcerem fuit conjectus & occisus Matth. 14. versic. 10. quidam de Christo ipso in crucem à Judæis acto: sed ex forma instructionis superius ostendimus, illos hic intelligi servos, qui post Christi passionem mortem & resurrectionem Evangelium in Judæa prædicarunt. Neque Christus in hac parabola servo invitanti, sed sponso, cui nuptiæ parantur, & filio Regis sese comparat. De Apostolis igitur ac viris Apostolicis Christus hic loquitur, qui post Christi resurrectionem & in cœlos ascensionem populum Judaicum ad spi-

ad spi-

ad spirituales & cœlestes nuptias per Evangelii præconium vocarunt. In illis abundè sunt completa, quæ hoc loco à Christo prædicta. Primates enim Judæorum, videlicet *Sacerdotes, Magistratus templi & Sadducæi dolentes*, quod Apostoli docerent populum & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis, iniecerunt in eos manum, & posuerunt eos in custodia. Act. 5. vers. 1. 2. & 3. cumque minis illis Apostoli minimè se impediri paterentur, quò minus Evangelium de Christo prædicare pergerent. *Princeps Sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, denuò iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica* Act. 5. vers. 17. & 18. *Ac cogitarunt eos interficere* vers. 33. quin & cæsis denunciarent, ne loquerentur in nomine Jesu. vers. 40. Stephanum lapidarunt Act. 7. vers. 59. Herodes Jacobum fratrem Johannis gladio occidit Act. 12. vers. 2. ac videns Judæis hoc placere, etiam Petrum in carcerem conjecit. vers. 4. Judæi Antiocheni persecutionem in Paulum & Barnabam concitaverunt & ejecerunt eos de sinibus suis Act. 13. vers. 50. Iconienses in eisdem impetum fecerunt, ut contumeliis afficerent & lapidarent eos, Act. 14. vers. 5. quod sanguinarium consilium Lycaonia in effectum deduxerunt, & lapidato Paulo traxerunt eum extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. vers. 19. Philippenfes Paulum & Silam virgis cædunt & postquam multas plagas illis imposuissent, miserunt eos in carcerem, & pedes eorum constrinxerunt ligno Act. 16. vers. 24. Judæi ex Asia Hierosolymis manus injiciunt in Paulum Act. 21. vers. 27. eumque percutiunt vers. 32. Tribunus flagellis eum cædi jubet Act. 22. v. 24. Ananias Princeps Sacerdotum jubet percutere os ejus Act. 23. v. 2. Conferatur etiam Martyrologium Paulinum 2. Cor. 11. v. 23. & seqq. ut etiam Hist. Ecclesiast. de vita & morte Apostolorum, ac liquido apparebit, Judæorum Proceres ac populum, eos, à quibus per prædicationem Evangelii ad regnum Messie & regias nuptias vocabantur, & apprehendisse & contumeliis afficere & occidisse. Cogitetur verò quanta hæc sit ingratitude & quantus furor! Non solùm alienos ministros, in quos nihil juris habent, sed etiam Regis potentissimi ministros adoriuntur, à quo magnum sibi imminere periculum & malum ignorare non poterant. Neq; solùm eos adoriuntur, sed etiam occidunt, neq; id faciunt ob quandam injuriam sibi à ministris illatam, sed ob summum beneficium, quod ad regales nuptias ab illis invitarentur. Præfiguratur autem in hoc parabola membro fors piorum doctorum in hoc mundo, quod pro summo beneficio pessimam à mundo gratiam reportent. Monstrant ipsi hominibus viam ad vitam, qui propterea ipsis eripiunt vitam; monstrant ipsis viam ad honorem & gloriam cœlestem, qui propterea contumeliis eos afficiunt. Qui in hac vita erranti viam comiter monstrat, qui submersioni proximum ex fluctibus extrahit, qui ex incendio aliquem eripit, is honorem & præmium reportat. Ministri Ecclesie hæc omnia præstant, sed præmii loco ab auditoribus occiduntur. Quamvis enim non omnes corporali supplicio à persecutoribus afficiantur, tamen sunt adhuc alia mortis genera, quibus pii doctores enecantur, quandoque enim impii auditores *iniquis suis operibus animas ipsorum cruciant,*

sicut de Lotho dicitur 2. Petr. 2. vers. 8. ut cum genuerit officium suum faciant. Hebr. 13. v. 17. quandoque necessaria vitæ subsidia ipsis denegantur, ut fame propemodum conficiantur, quandoque per detractiones & convitia contumelia ipsis infertur, sicque lingua occiduntur Pl. 57. v. 5. Jer. 18. v. 18. quæ omnia fiunt tum ex impulsu Diaboli, qui est juratus Dei hostis, ac cursum Ministerii remorari conatur, tum ex hominum malitia, qui nolunt ab idololatria, superstitionibus & mortuis peccatorum operibus revocari, sunt impatientes admonitionum & increpationum, non possunt patienter audire, omnia esse in hoc regio convivio jam antè parata, sed cupiunt etiam de suo aliquid conferre, merita scilicet suorum operum, & quæ sunt hujus generis causæ aliæ, quibus persecutores ad vim Ministris Evangelii inferendam se à Satana impelli patiuntur. Caveant igitur Ministri, ne inflectant vocationem & doctrinam ad hominum placita, nec resiliant ab officio suo propter mundi odia & persecutionum pericula, quæ si ipsos quoque comprehendant, meminerint, hanc fortem sibi à Christo prædictam, seque eam cum Prophetis & Apostolis habere communem Matt. 5. 12. proinde etiam cœlestia in vita æterna præmia cum iisdem sibi fore communia Apoc. 1. v. 9. Caveant etiam auditores, ne contemptus verbi & Ministrorum ipsis sit scandalo, neve Diabolo persecutionum auctori organa sese præbeant. Impunè non ferunt, qui Ministris Regis cœlestis molestias creant, sequitur enim in parabola.

3. *Iusta repudiata gratie ac cædis servis illate vindictio.* Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. Sicut trinæ vocationi tria contemptus genera respondent, ita triplici contemptus generi respondet etiam triplex pœna, videlicet 1. Regis indignatio. 2. Homicidarum perditio. 3. Civitatis ipsorum succensio. *αὐτοὺς δὲ ὁ βασιλεὺς.* Complutensis & plerique antiqui Codices habent *βασιλεὺς ἐξάτος*, sed eandem vim supplere potest articulus *ὁ*, qui hoc loco est *ἀναφορικὸς καὶ δικτικὸς* ille Rex, qui scilicet nuptias Filio paraverat, & ad convivium nuptiale multos invitaverat. Hieronymus observat, hic simpliciter eum vocari Regem, quando punit, cum prius, quando nuptias pararet, assimilatus fuerit *homini Regi*. Primum igitur, quod de hoc Rege commemoratur, est illud, quod *audiverit*, videlicet tum contemptum vocationis, tum etiam injuriam servis vocantibus illatam. Audivit autem vel per servos eorum, qui occisi erant ab invitatis, vel ab aliis, qui crudelitatis hujus fuerant spectatores & testes. Significatur hoc audiendū verbo. 1. Deum exactè observare, quomodo vocatio ad regnum cœleste ab hominibus accipiatur, & quomodo servi vocantes ab illis tractentur. Cum enim sit omniscius, & omnia coram oculis ejus sint nuda & aperta Hebr. 4. v. 13. ideo nihil eorum, quæ homines agunt, ipsum latere potest. Soletur hoc pios doctores, quod Dominus videat & audiat ipsorum in hoc mundo fortem, sicut de Zacharia Jojadæ filio, à Rege Joas interfecto, scribitur 2. Paral. 24. v. 22. quod paulò ante mortem dixerit: *Dominus videt & requirit*: ac David postquam de persecutionibus piorum

piorum conquestus fuerat, subjungit Ps. 10. v. 13. *Tu Domine vides.* 2. Quamvis Deus in luce suæ omniscientiæ omnia videat, ipsum tamen non solum *videre*, sed etiam *audire*, quomodo servi ipsius excipiantur. Audiat hoc, quia *sanguis* justorum à terra in cœlum *clamat*, & vindictam expetit Genes. 4. v. 10. Apoc. 6. v. 10. ad hunc clamorem sanguinis injustè effusi Dei aures non sunt clausæ, audit etiam piorum doctorum gemitus & suspiria, quæ impii ipsis exprimunt Heb. 13. vers. 17. Caveant ergo auditores, ne servis Dei sint molesti, Deus audit ipsorum gemitus. 3. Deum non statim ad Judæorum pœnam festinasse, cum ad priorem vocationem nuptiali convivio sese fistere recusarent ac Filium suum occiderent, sed ad tempus quasi dissimulasse injuriã sibi illatam, tandem verò, velut re auditã & intellectã, vindictam de illis summissè, maturo scilicet & justo judicio, cum insuper etiam servos occiderent, per quos delicti in Filium commissi condonatio ipsis offerebatur. Magnum hoc divinæ *magis* *bonitas* est argumentum, quod non statim Judæos deleverit, cum Messiam occidissent, sed post annos demum quadraginta, cum oblatam in Evangelio gratiam pertinaciter repudiare pergerent. Alterum est, quod non solum audiverit, quomodo invitati sese gesserint, sed etiam *iratus fuerit* & quidem merito. Erat enim indignissimum facinus, illos, quos ex gratuita benevolentia ad regiam mensam invitaverat, non solum vocationem tanti hospitis susque deque habere, sed etiam servos, per quos vocati erant, occidere. Lenitatem igitur convertit in irã severitatem, neque ulterius ad tam illiberale & nefarium facinus dissimulandum esse judicavit, sed ad vindictam ab homicidis sumendam progredi statuit. Notatur igitur 1. Deum non solum *audire*, sed etiam *irasci*, si servi ipsius, per quos homines ad nuptias vocat, injuriis afficiantur. Si terrenus aliquis Rex Legatos mitteret ad quosdam captivos mortis reos, ipsisque non solum pœna capitalis, sed etiam captivitatis relaxationem nunciari curaret, ipsi verò Legatos regios interficerent, an putabimus Regem æquo animo hanc injuriam servis factam laturum? At longè gravius peccant, qui cœlestis Regis Legatos, per quos ipsi, utpote *captivis, liberatio, & vinctis apertio carceris* nunciatur Esai. 61. vers. 1. iniquius tractant, justissimam igitur Regis indignationem incurrunt. Mundus statuit, Deum parùm curare, quid servis ipsius obveniat, sibi que persuadet, Ministros verbi contemni posse, ut interim Deus & verbum ejus honoretur, sed hic videmus, ipsum injuriam servis illatam suam æstimare, & hoc nomine graviter succensere, sicut etiam ad Samuelem à populo Israëlítico repudiatum dicit 1. Sam. vers. 7. *non te rejecerunt, sed me.* 2. Hanc Dei iram non esse rem leviculam ac parvi æstimandam. Vocatur enim *ira Regis.* De ira terreni Regis dicit Salomon Proverb. 16. vers. 14. *Indignatio Regis nunciis est mortis, & capite 19. vers. 12. Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira.* Quotò vero major & sublimior est Deus homine, tantò gravior quoque plus ira judicanda, quam Regis terreni, cum *pse sit ignis consumens.* Deuteron. 4. vers. 24.

Hebr. 12. vers. 29. quando *ignis in furore ipsius succenditur adversus ingratos verbi contemptores, tunc ardet usque ad inferiorem infernum, devorat terram & fructus ejus, & inflamat fundamenta montium* Deut. 32. vers. 22. Testatur etiam de magnitudine iræ divinæ gravitas pœna, quam ex ira contumacibus & præfractis peccatoribus irrogat. Augustinus conc. 2. in Psalm. 58. monet, esse duplicem Dei iram, videlicet consummationis & consumptionis. *Omnis, inquit, vindicta Dei ira dicitur. Sed aliquando ad hoc vindicat Deus, ut perficiat, aliquando ad hoc, ut damnet. Consummationis ira est, quando flagellat omnem filium, quem recipit* Hebr. 12. vers. 6. *Consumptionis, quando dicit: Ite in ignem eternum* Matt. 25. vers. 41. Ira, de qua hoc loco agitur, est ira consumptionis, de qua Psalm. 2. vers. 5. 2. Thesal. 2. v. 16. & c. 3. iram Dei concitari omnium maximè per contemptum verbi & cædem servorum ipsius. Reliqua peccata aliquandiu tolerat Deus, *non per negligentiam, sed per patientiam*, ut loquitur Augustinus serm. 181. de tempor. sed contemptum verbi nullo modo ferre potest, per verbum enim omnia reliqua peccata & debent & possunt emendari, quando igitur ad ea accedit contemptus verbi, quod est unicum conversionis & salutis medium, exardescit Dei ira & pœna est in propinquo 2. Paral. 36. v. 15. & 16. 4. Deum seriò velle, ut omnes invitati ad nuptias veniant, neque illum hominem absoluto quodam odio à gaudiis cœlestium nuptiarum excludere. Nisi enim seriò vellet ipsos venire, non irasceretur eis hoc nomine, quod venire recusaverint. Tertium est, *quod miserit exercitus suos, & perdidit illos homicidas.* Non tantum Regem iratum fuisse dicit, sed etiam ex ira pœnam irrogasse ingratis servorum suorum interfectores, ne quis iram ejus parvi pendat, vel facili negotio ipsum iterum placari posse sibi persuadeat. Maldonatus existimat, *nihil aliud significari, quam Deum de iis, qui vocati venire noluerunt, graves summissè pœnas.* Sed cum in specie illud ipsum Judæis contigerit, quod hic describitur, ideo supplicii species, ob cædem Apostolorum & Apostolicorum virorum Judæis irrogati, hic exprimi recte dicitur. Hieronymus & Gregorius per hos exercitus intelligunt *Angelos malos*, de quibus Psalm. 78. vers. 49. dicitur: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem per immissionem malorum Angelorum.* Sed quia cum perditione homicidarum etiam incensio civitatis conjungitur, id eò rectius de corporalibus exercitibus hoc accipitur. Quidam ergo hoc intelligunt de excidio populi Israëlítico per Assyrios & Babylonios, quando in Assyriacam & Babylonicam captivitatem sunt abducti, cum Christus loquatur in præterito. Sed ostendimus superius, Christum hic loqui de vocatione Judæorum ad regnum Messia, post ipsius passionem & resurrectionem per Apostolos facta, ideo necessario hoc accipiendum de ultimo Judæorum excidio per Romanos factò, de quo more Prophetico propter certitudinem verbis præteriti temporis loquitur. Chrysostomus homil. 70. in Math. *Hæc dicens, CHRISTUS, Vespasiani & Titi facta multò*

ante significat. Ergo per *το στρατευματα* intelliguntur copiae Romanorum, per quas regio Judæorum fuit devastata, ipsique miserè subjugati, ac loquitur Christus in plurali, quod Rex miserit exercitus suos, ut non uno pœnarum genere Judæos affectos intelligamus, non enim gladio tantum Romanorum, sed etiam fame, peste, seditione, &c. sunt absumti. Hæc omnia pœnarum genera dicuntur *Dei exercitus*, quia illis Deus ad executionem judiciorum suorum adversus impios utitur, sicut Rex terrenus suis copiis militaribus & satellitibus adversus inobedientes subditos. Verbum *αὐτῶν* exprimit formam excidii, quod scilicet funditus sint perdendi ac dissipandi, sine spe restitutionis in integrum, quæ post Chaldæorum irruptionem olim fuerat secuta, hanc enim vim hujus verbi esse, superius ostendimus. Syrus habet verbum *כרס*, quod itidem finalem ac totalem destructionem notat. Dicitur autem *perdidisse homicidas*, non eos, qui propter agros & mercaturam suam, vocationem neglexerant, ut commendetur DEI bonitas, quasi non fuisset Judæos horribili illo supplicio, & finali excidio in hac vita vindicaturus, si tantum neglexissent oblatam in prædicatione Evangelii gratiam, & non etiam homicidæ fervorem, in id ipsius Filii DEI fuissent. Quamvis enim Christus causam finalis excidii dicat fore, eandem fervorem, non tamen negat sui occisionem causam fore præcipuam, quia id antè in præcedente parabola dixerat, hoc autem loco repetere noluit, quia præsentis parabole non fuisset satis conveniens, cum in nuptiis hujus sæculi occiso Sponso nuptiarum solennia cessent, nec ad eas in posterum quisquam invitetur, cujus contrarium in nuptiis hæc spiritualibus & cælestibus contingit, inde etiam non dicit perditos fuisse *ἀποκτονωσῶντες homicidas*, sed *φονεῖς interfectores*, Judæi enim non solum fuerunt homicidæ, sed etiam Deicidæ, quia *Dominum gloria crucifixerunt*, 1. Corinth. 2. vers. 8. & *Autorem Vitæ interfecerunt*, Actor. 3. vers. 15. Quartum est, quod *civitatem illorum succenderit*. Testatur enim Historia excidii Hierosolymitani, quod & templum & urbs Hierosolyma subjectis à Romano milite flammis in cinerem fuerint redacta, quod cum justo Dei judicio ob enormia Judæorum peccata, cum primis verò ob eandem Messia & Apostolorum factum fuerit, inde ipsi Deo hæc civitatis incensio tribuitur. Gregorius homil. 38. in Evangelium mysticè interpretatur: *Civitatem illorum succendit, quia illorum non solum anime, sed caro quoque, in qua habitaverant, aeternæ gehennæ flamma cruciatur*. Sed hæc spiritualis & aeterna pœna non excludit corporalem & temporalem, utramque DEUS ingratis Judæis irrogavit. Proponitur ergo nobis 1. *Dei Majestas*. Est *Dominus exercituum*, uti passim in Scripturis vocatur. Exercitus ejus sunt Angeli boni & mali, 1. Regum 22. vers. 19. Luc. 2. vers. 13. homines pii & impii, stellæ firmamenti, Jud. 5. vers. 20. Esa. 24. vers. 21. crabrones, vespæ, muscæ, Sap. 12. vers. 8. atque omnes creaturæ in cælo & in terra, Genes. 2. vers. 1. quia omnes potest armare in exitum impiorum, omnes ad servi-

Harm. Tom II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

tium suum habet promtas & paratas. Nemo igitur audeat hunc Dominum exercituum offendere. 2. *Dei longanimitas*. Non statim ut Judæi Messiam & Apostolos occiderunt, gladium furoris sui adversus eos strinxit, ac sceleratos homicidas perdidit, sed prius multis annis eum exacuit, & tempus pœnitentiæ ipsis concessit. Chrysostomus homil. 70. in Matth. *Non statim interfecto CHRISTO, sed post quadraginta annos Deus Judæos perdidit, ut longanimitatem ejus omnes viderent*, Deut. 20. vers. 10. præscripsit Deus populo suo Israëlítico tale præceptum: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem*. vers. 11. *Si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur*. vers. 12. *Si autem fuerit inire noluerit, & cepit contra te bellum, oppugnabis eam*. V. 13. *Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percutes omne, quod in ea generis masculini est, ore gladii*. Hanc legem, quam Deus hominibus præscripsit, etiam ipse cum hominibus agens observat. Primum enim in verbo Evangelii pacem & gratiam suam hominibus offert, sed qui oblatam pacem acceptare renuunt, in super etiam bellum contra Deum, hoc est, contra ipsius ministros movent, adversus illos justitiam suam exercet. Clemens Alexandrinus hujus rei typum in columna nubis & ignis nobis proponi statuit. *Nubis, inquit, est refrigerare, atque à Solis astu & ardore protegere, ignis contra comburere & vastare*. Quos ergo nubes non fovet, illos ignis vastat, & ideo quisquis rejicit umbram refrigerantem, ignem sentiet comburentem. Evidens illius vicissitudinis exemplum proponitur in Judæis, quos olim per columnam nubis & ignis Deus in deserto deduxit. 3. *Divina providentia Dignitas*. Copiæ Romanorum, quibus Judæi sunt oppugnati & perdit, vocantur hoc loco *Dei exercitus*, quia scilicet earum opera Deus in executione suorum judiciorum est usus, Esa. 10. vers. 5. *Assur, sive Rex Assyrius vocatur virga furoris Divini, & baculus, quo populum suum percussit*, cap. 13. vers. 2. *Perse & Medi vocantur DEI sanctificati*, propterea quod copias ipsorum veluti conscripserat, ut Babylonem devastarent, Jerem. 25. vers. 9. *Nabuchodonosor vocatur DEI servus*, per quem de prævaricatoribus supplicium sumpsit, Joel. 2. vers. 11. *exercitus hostium Judæos oppugnantium vocatur DEI exercitus & castra DEI* facientia verbum ejus. Nequaquam tamen hoc eo sensu accipiendum, quasi DEUS sanguinaria ista consilia hostium, & persecutorum animis instillet, quod injusto bello populum DEI petere debeant, ipsi enim non sic arbitrantur, & cor eorum non ita existimat, Esaia 10. vers. 7. hoc est, ipsis haudquaquam propositum est judicia divina executioni dare, sed quarunt dilatationem imperii sui, gloriam mundanam, &c. sed quia ipsorum malitiam ad bonum, hunc finem dirigere, & ex ipsorum malis hoc bonum elicere novit. In omnibus igitur, quæ ab hostibus nobis accidunt, adversis, ad divinam providentiam animos attollamus. 4. *Justitiæ Divinae severitas*. Quia Judæi promissum Messiam recipere noluerunt, sed ipsum & Apostolos ejus nefariè occiderunt, ideo ipsi quoque justo Dei judicio à Romanis sunt occisi, quia præcones

Kk

Evan-

Evangelii ferre noluerunt, ideo exercitus Romanos iudicii Divini executores tolerare coacti fuerunt. Quia sanguinem sitiverunt, sanguine inebriati sunt, sicut Tomyris, Scythiæ Regina, Cyri caput dolio sanguine repleto immergens dicebat. Memorat Josephus in oppugnatione, & expugnatione Hierosolymæ decies centena millia hominum miserè periisse, ac nonaginta septem millia in captivitatem abducta, quorum alii ad triumphum servati, alii in spectaculis bestiis objecti, alii gladiatorum ludis destinati muris vulneribus sese confecerunt. Sic ergo impletum fuit hoc vaticinium CHRISTI, *perdidit homicidas istos*. Quamvis verò hæc temporales pœnæ fuerint longè gravissimæ, tamen infernalis & æterna pœna illis, qui in impenitentia & contemptu Messæ mortui fuerunt, metuenda, incomparabiliter gravior erit. Acceperant à Deo, & corporalia & spiritualia beneficia, quia verò utrisque pessimè abusi sunt, ideo & corporales & æternæ pœnæ ipsos manent. Ipsorum igitur exemplo cautiores facti à contemptu verbi & ignominia servorum DEI abstinemus, ne eandem cum Judæis sortem experiamur. Quod enim ingratis Judæis olim contigit, illud in fine mundi omnibus verbi contemtoribus, & Ecclesiæ persecutoribus eveniet, quando totum mundi ædificium igne absumetur, ipsique externo exitio ad iudicabuntur, 2. Petr. 3. v. 10. 5. *Omniscientiæ Christi veritas*. Christus excidium Judæorum & Hierosolymæ combustionem hoc loco prædicit quadraginta annis prius, antequam e venerit. Ostendit igitur, se in luce divinæ omniscientiæ carni suæ personaliter communicata futura intueri. Quamvis enim plenario illius omniscientiæ usu in statu exinanitionis voluntariè sese abdicavit, tamen radios quosdam illius, quando & quoties voluit, exeruit, jam verò in statu exaltationis omnia ut Deus & homo præsentissimè intuetur.

Atque hæc dicta sunt de vocatione Judæorum, cui jam subjungitur vocatio Gentilium. Tunc ait (Rex) *servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quocumque inveneritis, vocate ad nuptias*. Descriptio vocationis Gentilium tribus absolvitur membris. In primo proponitur *vocationis occasio*, quæ est Judaicæ Gentis, vocationem ad cœlestes nuptias pertinaciter repudiantis, ingratitude, *totè tunc*, videlicet cum audisset Rex invitatos nolle venire, quin & servos suos in super occidisse. Non enim hoc referendum ad proximè præcedentia, quasi tunc demùm servos suos iusserit ire ad viarum exitus, quando perdidit homicidas, & civitatem eorum succenderat, cum constet, statim post resurrectionem CHRISTI Apostolos fuisse iussos *predicare Evangelium omni creaturæ*, Marc. 16. v. 15. ac *docere omnes Gentes*, Matth. 28. v. 19. quod ipsos quoque sedulò fecisse ex Actorum historia constat: sed referendum hoc est ad remotius, quod tunc iusserit promiscuè omnes vocare, cum intelligeret honestiores primo loco vocatos comparitionem pertinaciter recusare. Quòd si dictionem *totè* omninò ad omnia præcedentia referre velimus, mandatum Regis de professione ad exitus viarum, & promiscua quorum-

libet vocatione hoc sensu accipiendum erit, quod post Judæorum excidium, & Hierosolymæ devastationem, vel maximè ad vocationem Gentium Apostoli, & viri Apostolici abierint, siquidem tunc temporis etiam illi, qui in Judæa hæcenus subtiliterant, ad Gentes abierunt. *Dixit Rex servis suis, illis ipsis scilicet, quorum opera in priore invitatione usus fuerat, quia per eosdem Apostolos vocati sunt Gentiles post CHRISTI passionem & resurrectionem*, per quos Judæi vocati erant ante ipsius resurrectionem. Et quia CHRISTUS utitur verbo *dicendi*, ex eo colligi potest, quod novum aliquod mandatum Apostoli sint accepturi de Gentilium vocatione. Cùm enim ante passionem suam Christus Apostolos ad prædicationem Evangelii ablegaret, ejusmodi mandatum ipsis dedit: *In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves perditas domus Israel*, Matth. 10. vers. 5. & 6. at post passionem & resurrectionem suam alio mandato eos instruxit, Matthæi 28. vers. 19. *Euntes, docete omnes Gentes*. Marc. 16. vers. 15. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Luc. 24. vers. 47. *Oportet prædicari in nomine CHRISTI penitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, initio facta ab Hierosolyma*, Actorum 1. vers. 8. *Eratis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad fines terræ, &c.* Nuptiæ quidem paratæ sunt, *γὰρ* pro nuptiali convivio hic accipitur, sicut etiam Syrus reddidit, *convivium præparavi, sive bonum feci*, hoc est, nullis sumptibus, nullis impensis, quò minùs splendidum & opiparum, adeoque Regiis nuptiis dignum pararem convivium. DEUS enim proprio *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, Roman. 8. vers. 32. *cujus merita fuere sumptus hujus convivii, propter quæ erogantur nobis à Patre cœlesti omnia ad vitam spiritualem & æternam necessaria, sed qui invitati erant, non fuerunt digni, videlicet tanto nuptiarum apparatu, ac tam honorificè ad nuptias invitatione*. Quia verò nullus hominum, sive sit ex Judæis, sive ex Gentibus, Regiis hinc nuptiis dignus est, ideò illa indignitas sic accipienda, quod Rex quidem illos dignatus fuerit, & nuptiarum celebritate, & gratuita ad eas vocatione, ipsi verò contemptu vocationis & cæde servorum semetipsos indignos fecerint, quo minus huic nuptiarum festivitati interessent. Eò enim modò Paulus & Barnabas illud explicant, Actor. 13. v. 46. *Vobis (Judæis) primùm oportebat loqui verbum DEI, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos ipsos iudicatis vitâ æternâ, ecce convertimur ad Gentes*. vers. 47. *Sic enim præcepit nobis DOMINUS*. Apparet igitur ex hoc loco 1. Judæorum incredulitatem, & oblata in Evangelio gratiæ contemptum fuisse occasionem vocationis Gentium, ac *delictum illorum fuisse divitias mundi, diminutionem eorum divitias Gentium*, Roman. 11. vers. 12. Non videbantur illis hæc nuptiæ paratæ, quia nullas acceperant promissiones de Messia, erant alienati à conversatione Israel, & hospites Testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine DEO in mundo

Ephel.

Ephes. 2. v. 12. quia verò Judæi Messiam sibi peculiariter promissum, & vocationem ad regnum ipsius repudiaverunt, hac occasione Gentiles ad regnum Gratiæ per Evangelii prædicationem sunt vocati. Quidam ex hoc parabolæ membro colligunt, Gentiles non fuisse ad Ecclesiæ consortium vocandos, si Judæi Evangelium de CHRISTO recepissent. Sed illi iusto longius hanc parabolæ partem extendunt, indicatur enim tantum, quid Judæis venire recusantibus Deus fecerit, non autem quid facturus fuisset, si Judæi ad nuptias venissent, promisso de Messia Abraham facta omnes omnino Gentes in semine ipsius benedicendas esse asserit, Genes. 22. vers. 18. ac post CHRISTI resurrectionem Apostoli jubentur, docere omnes Gentes, sine ullo Judæorum ac Gentilium discrimine, Matth. 28. vers. 19. nec verisimile est propter solos Judæos Filium DEI fuisse incarnandum, num enim Judæorum tantum? nonne & Gentium? imò & Gentium? Rom. 3. vers. 29. in CHRISTO non est Judæus nec Græcus, Galat. 3. v. 28. Unus DEUS & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, Eph. 4. vers. 6. 2. Per contentores Divinæ Gratiæ, & cœlestis vocationis nihil decedere regno Gratiæ, sicut hoc loco per contemptum invitatorum, nec nuptiæ turbantur, nec prandium regale corrumpitur, sed illis venire recusantibus alii vocantur. Regnum enim Gratiæ, & verbum Evangelii in Novo Testamento non amplius est nisi populo astrictum, sed est ambulatorium. 3. Promissiones Divinas firmas & immotas persistere, etiamsi illi, quibus factæ sunt, eas non amplectantur, cum credulitas hominum fidem DEI non evacuet, Rom. 3. vers. 3. Si non credimus, Ille fidei permanet, seipsum negare non potest, 2. Tim. 2. vers. 13. Judæi sibi persuaserant, ad se solos Divinas promissiones pertinere, defuturam Deo in terris Ecclesiam, si ipsos repudiaret, sed potuit Deus promissiones suas implere, etiamsi Judaicum populum propter ingratitude non repudiaret, quia etiam ex lapidibus potuit suscitare filios Abraham, Matth. 3. vers. 9. 4. Promissiones multis dari, sed quandoque in paucis impleri, cujus rei causa non est tribuenda absoluto DEI odio & decreto reprobatorio absoluto, quo reliquos à promissionum fructu immutabiliter excluferit, sed hominum incredulitati & pertinaciæ, quæ promissiones illas repudiant. Sic in terram Canaan duo tantum ingressi sunt, quamvis sexcenta millia virorum ad pugnam aptorum promissionem de ingressu in terram illam acceperant, Num. 14. v. 24. 1. Corinth. 10. vers. 5. 5. Beneficia DEI non quidem niti nostrâ dignitate, interim tamen seipsum illis indignos facere, qui fide ea amplecti nolunt. Caveamus igitur, ne nostra incredulitate & ingratitude nos beneficiis cœlestibus, & regno DEI indignos reddamus.

In altero membro proponitur vocandi mandatum & jussio. Itæ ergo ad exitus viarum, & quotæ inveneritis, vocate ad nuptias. Particula & est illativa. Quia illi, quos primo loco invitaveram, seipsum nuptiis indignos fecerunt, ideo alios mihi convivas quærite, ne frustra paraverim nuptiale istud prandium. Itæ inîs die-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

ἔξοδος τῶν ὁδῶν. διέξοδος, & transitum & exitum significat. LXX. utuntur pro ἔξοδος quod itemdem pro utroque usurpatur, Numer. 34. vers. 4. Jos. 15. vers. 4. &c. ac διέξοδος τῶν ὁδῶν, sunt ipsi rivi à fonte exeuntes & divisi, Psalm. 1. vers. 3. Psalm. 119. vers. 135. Quidam igitur per τῶν διέξοδος τῶν ὁδῶν intelligunt transitus viarum, ubi multæ viæ simul coeunt, ex quibus ad omnia latera iter patet. Regia Biblia verterunt compita, quæ sunt loca, quæ per diversas adeunt vias, cujusmodi sunt bivia, trivium & quadrivia, in quibus multi solent reperiri, ex diversis viis illuc confluentes. Quidam verò exponunt exitus, sive fines & terminos viarum, in quibus viles & abjecti homines solent commorari, sicut etiam Syrus reddidit per ἔξοδος exitus viarum. Utraque significatio rei per parabolam denotata congruit. Gentiles enim ad consortium Ecclesiæ in Novo Testamento vocati fuere numero longè plures quàm Judæi, Deuteronom. 7. vers. 7. unde comparantur illis, qui in compitis inveniri solent, in quibus magna multitudo congregatur, quia compita sunt vici urbis frequentes, circa quos plerique prætereunt. Idem tamen fuere in terminis viarum, hoc est, extra politiam Israël, unde in parabola huic nostræ parallela, Luc. 14. vers. 23. comparantur mendicis circa sepes oberantibus: erant enim per avia errorum, superstitionum, & multiplicis idololatriæ hinc inde per totum terrarum orbem dispersi. Quando igitur recusantibus ad nuptias venire illis, qui prius invitati fuerant, Rex mandat servis, ut ad exitus viarum abeant, & quotæ invenerint, ad nuptias vocent, sensus est, quod sine locorum & populorum discrimine in mundum universum exeuntes Evangelium omni creaturæ prædicare, & per illud quosvis ad nuptiarum cœlestium gaudia invitare debeant. In priore vocatione Rex ablegaverat servos in civitatem, ad invitandos urbis incolas honestiores, jam verò extra civitatem emittit eos in exitus viarum, hoc est, in vias, quæ sunt extra civitatem, sicut in executione mandati dicitur, quod servi exierint in vias. Significatur igitur, Judæos habuisse Rempublicam Divinis legibus constitutam, ac fuisse Dei civitates, Ephes. 2. vers. 19. Gentes verò ab hac politia fuisse ἀπηλλοτριωμένους, antequam per Evangelium vocarentur, vers. 12. Fuerunt non in viis, sed extra vias, quia non noverunt viam Domini, nec ambulantur in viis mandatorum Divinorum, sed in deviis errorum, & peccatorum. Simon de Cassia in hoc loco: Via Domini sunt misericordia & veritas, Psalm. 25. v. 10. Ab hac via multipliciter exierunt Gentiles. Gregorius dicit: Exitus viarum esse vitia actionum nostrarum, quia Scriptura actiones nostras vocat vias. Ad exitus ergo viarum mittuntur servi, hoc est, ad Gentiles, qui à via veritatis & justitiæ in actionibus suis longissimè abierant. Potest etiam huc accommodari dictum Christi, Actor. 1. vers. 8. eritis mihi testes, usque ad extrema terra. Cum enim Apostoli prius in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria per prædicationem Evangelii de CHRISTO fuissent testificati, tandem abierunt usque ad extremos terræ fines. Hi fuere illi

illi exitus viarum, ad quos servi hoc loco ablegantur. Cum enim prius non alios, nisi invitatos, ad nuptias vocare iussi fuissent, ac proinde non aliò ire, quàm ubi illi civitatem & domicilia habebant, jam nullâ ratione antegressæ invitationis vel loci habitâ jubentur omnes angulos pervagari, omnes vias à capite ad exitum usque perlustrare, & ad nuptias vocare, *ὅσους, quoscumque, & quocumque,* cujuscunque scilicet sint conditionis, & quocumque numero inveniant, utroque enim modo illud verti potest. Syrus reddidit: *Et omnem quem inveneritis, sive quemcunque inveneritis, vocate ad nuptias.* Quare verò prætermisissimis Judæis DEUS Gentes vocaverit, ejus rei causam exponit Moses, Deuteronom. 32. vers. 21. & ex eo Paulus, Rom. 10. vers. 19. *Provocabo eos in eo, qui non est populus, & in Gente stulta irritabo eos.* Voluit enim abjectissimas, & à Politia Israëlitis alienissimas Gentes vocare, ut earum exemplo magis irritarentur, ac mutatis animis Divinæ vocationi obsequerentur. Agnoscamus ex eo immensam DEI misericordiam, quod miseros nos Gentiles ad convivium suum nuptiale vocaverit, Rom. 15. vers. 9. consideratione status nostri, in quo ante vocationem hæsimus, flectamur ad humilitatem, ne insultemus Judæis ob incredulitatem rejectis, Rom. 11. vers. 18. simus ipsorum exemplo cautiore, ne ipsorum incredulitatem & contemptum imitati ipsi quoque ab his nuptiis excludamur: solemur etiam nos hac Dei benignitate, quod non cesset semper ex genere humano quosdam vocare ad regni sui consortium, quamvis alii, & quidem complures, vocationem illam contemnant: confidamus denique, Deum nos gratiæ & salutis cupidissimos non rejecturum, cum Gentes de salute nihil cogitantes, nedum eam desiderantes, ipsemet ex gratia quæserit, Esa. 65. v. 1.

In tertio membro continetur *mandati executio & eventus.* *Et egressi servi illi in vias, congregaverunt omnes quotquot invenerunt, malos pariter ac bonos.* *καὶ* ponitur hoc loco pro *et*. Egressi igitur servi illi, quibus Rex mandatum ejusmodi dederat, &c. Vulgata reddidit *servi ejus*, sed in Græco est *οἱ δούλοι ἐκείνοι*, cum quo etiam consentit Syrus interpres. Quod *in vias egressi* dicuntur, cum *in exitus viarum* egredi fuerint iussi, non est eo sensu accipiendum, ac si à mandato regio discessissent, sed contrarium potius significatur, videlicet quod mandato Regis sui exactissimè obsecuti in vias quaslibet varias & longinquas exiverint, qui enim absolutè in vias abire dicitur, is etiam in exitus viarum abit. *Congregaverunt omnes, quotquot invenerunt, malos pariter ac bonos.* Per τὸ *συνάγειν* plus significatur quàm per τὸ *καλεῖν*, videlicet quod non solum ad nuptias obvios quosque invitaverint, sed etiam ipsis persuaserint, ut ad convivium nuptiale venirent, hoc est, ut Ecclesiæ sese aggregarent, quæ propterea etiam vocatur *συναγωγή καὶ ἐπισυναγωγή*, Matthæi 23. vers. 37. Hebr. 10. vers. 25. Jacob. 2. vers. 2. quia est congregatio sive coctus hominum, per verbum ex genere humano convocatorum. Bellarminus libr. 3. de Eccles. milit. capite 1. disputat: *Populum Veteris Testamenti propriè dicit Synagogam, id est, congregationem; populum verò Novi Testamenti nusquam dicit Synagogam, sed semper Ecclesiam, id est, evocationem. Congregari enim commune esse homini cum bestiis, ac evocari propriè esse hominum.* Sed erroneam esse hanc assertionem, patet ex hoc ipso loco, ubi etiam de vocatione Gentium ad Ecclesiæ consortium verbum *συνάγειν* usurpatur, ac verbum *καλεῖν*, quod de congregatione fidelium Veteris Testamenti usurpatur, LXX. promiscuè reddiderunt per *συναγωγήν*, Exod. 16. vers. 3. Levit. 4. vers. 13. &c. & per *ἐκκλησίαν*, Deut. 31. vers. 30. Jos. 8. vers. 35. Jud. 20. vers. 2. &c. Quod omnes dicuntur congregasse, illud quidam exponunt *distributive*, ut sit sensus, quod multos ex omnium hominum genere vocaverint, quâ ratione rectius verteretur per *quotquot*, cum sit distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum, Gen. 7. v. 14. Matth. 4. v. 23. Luc. 11. v. 42. &c. Sed quia additur, *congregaverunt omnes, quotquot invenerunt*, idè rectius accipitur *universaliter*, quod diligentissimè in omnibus viis & viarum angulis quæverint, & omnes, quotquot invenerint, ad nuptias congregaverint. Quemadmodum enim in priore membro, de vocatione Judæorum, Christus sic locutus fuerat, quasi nullus eorum ad nuptias venire voluerit, quia pauci, & in recusantium respectu ferè nulli venerant: sic in hoc posteriore membro de vocatione Gentilium ita loquitur, ac si omnes vocati venerint, quia multi & infiniti venerunt, quamvis cerum sit, etiam ex Gentilibus quosdam vocationem recusasse, quin & aliquos ipsorum præcones Evangelii ignominia & morte affecisse, ut historia Ecclesiastica testatur. De hac Synecdoches specie in Scripturis usitatissima sic disserit Augustinus in libr. de Unit. Eccles. c. 12. & in libr. quem edidit post collationem cum Donatistis capite 20. *Propheta & Apostoli sic argueres solent reprehensibiles in aliquo populo, quasi omnes in eo populo arguantur, & sic alloqui laudabiles, quasi omnes ibi laudentur*, libr. 6. contra Julian. cap. 12. *Omnes pro multis frequenter in sacris literis ponuntur*, Gen. 6. v. 12. 1. Paral. 14. vers. ult. Jerem. 9. v. 26. Matth. 21. v. 26. &c. Quod verò dicuntur *bonos & malos* congregasse, cum ante vocationem ad Ecclesiam nemo sit bonus, illud varias peperit disputationes. Quidam existimant hoc duntaxat ad connexionem parabola pertinerè, non autem ad rem per parabolam significatam. Sensum igitur esse, quod obvios quosque ad nuptias vocaverint, & introduxerint sine prævio delectu, an boni sint vel mali. Sed cum reliqua parabola membra ob certam aliquam significationem contextantur, non est verisimile, hoc esse otiose adjectum. Quidam per bonos intelligunt Judæos, qui videri voluerunt boni, per malos verò Gentiles, ac proinde ex Judæorum affectu Christum hic locutum esse, qui Gentiles malos & abominabiles judicabant, Actor. 10. v. 28. cum reverà utriusque fuerint mali. Stapulensis h. l. *Congregaverunt bonos & malos, hoc est, Judæos & Gentiles. Nam Judæi ob honorem legis DEI, quam semper habebant, bonorum nomine honorantur.* Sed ostendimus superioris, non de Judæorum, verum de Gentilium vocatione Christum hoc loco agere. Hieronymus

mus in comment. hoc loco sic differit. *Hunc locum plenius tractat Apostolus Rom. 2. vers. 14. quod gentes naturaliter facientes ea, quæ legis sint, condemnent Judeos, qui scriptam legem non fecerint. Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita, cùm sciamus alios esse proclives ad vitia & ruentes ad mala, alios ob honestatem morum virtutibus deditos.* Eodem ferè modo interpretatur Augustinus lib. de fide & operibus cap. 17. eos scilicet dici bonos, secundum quandam humanam conversationem, in qua etiam ij, qui non crediderunt, laudari vel vituperari solent. Ita quoque Theophylactus. *Qui minus Naturâ mali sunt & probate sunt vitæ inter Ethnicos, cujus in uno quoque sunt semina, si ea excoleret.* Sic ergo boni dicerentur, non qui absolutè & simpliciter tales, sed comparatè, qui minus mali, quàm reliqui, sicut aliàs de fanioribus gentilibus dicit Augustinus, quod justus Aristides minus punietur, quàm Catilina, non quia ille fuerit bonus, sed quia minus malus, non quidem veras virtutes habendo, interim à veris virtutibus non multum deviano. Sed cum boni simpliciter hic opponantur malis, ideò alia quærenda est interpretatio. Salmeron dicit, *bonos vocari eos, qui per naturam ad bonum inclinantur.* Sed Scriptura testatur, omnes homines per Naturam ad malum proclives esse, nec ullum hominem per naturales liberi arbitrii vires ad bonum spirituale inclinari, vel etiam sese convertere posse. Quidam per bonos intelligunt honorabiles, per malos verò homines viles inhonoratos, ut sic malum & bonum, non accipiatur prout ad mores pertinet, sed prout pertinet ad nuptias, & quia ibi honor queritur, ideo bonum vocatur, quod est honorabile; malum verò, quod non est honorabile, quæ sunt verba Testati in hoc loco. Sed talis significatio boni & mali ex sacris literis vix poterit demonstrari. Simplicissima interpretatio colligitur ex ipso parabola contextu. Cur enim Christus hoc in parabola adjecerit, quod congregaverint bonos & malos, ipsemet exponit, quando subjicit, inventum fuisse inter convivas non indutum veste nuptiali, quem inter malos locum habuisse nemo dubitat. Bonos ergo dicit, non quod tales erant ante suam vocationem, tunc enim neminem esse bonum coram Deo, patet ex Psalm. 14. vers. 3. Rom. 3. vers. 23. &c. Sed quòd vocati tales fuerint facti per veram scilicet pœnitentiam, fidem in Christum & vitæ emendationem. Malos verò vocat hypocritas, qui conversionem tantum simularunt, uti etiam eos, qui in bono non fuere constantes, sed ad malum iterum declinarunt. Qui enim testati sunt, se in malo velle perseverare, non sunt ad nuptias hæc à servis admissi. Occurritur proinde hoc membro tacitè cuidam objectioni. Ad has spirituales & cœlestes nuptias non videbantur admittendi, nisi soli boni, id est, verè ad Deum conversi, verè in Christum credentes ac seriò pietati studentes, præsertim cùm servi vocantes convivas ad has nuptias mittantur à tali Rege, qui est omniscius ac scrutator renum & cordium Psalm. 7. vers. decim. Sed Christus in parabola respondet, Dominum hoc judicium novisse committere servis, ut exactè scirent, qui

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prima.

boni essent in nuptiis futuri, quive mali, sed hoc judicium sibi soli reservasse, propterea etiam noluisse, ut scrupulosè quærerent, quinam boni essent permanfuri, sed præcepisse, ut omnes vocarent & introducerent ad nuptias, modò præse ferrent, quòd in nuptiis se dignè gerere velint. *Malos intelligere, inquit Hilarius, non omnium est, & humana simplicitas difficile fraudulentiam simulate mentis intelligit.* Scopus igitur Christi est docere, quod in Ecclesia visibili piis & bonis semper admixti sint hypocritæ & mali, sicut in corpore humano cum sanguine puro vitiosi humores sunt conjuncti, quod ipsum Matth. 13. vers. 25. & 47. per parabolam de tritico & zizania in eodem agro crescentibus, ac de sagena pisces bonos & malos trahente docet. *Hic (in hac vita) cum Hierosolymitanis habitat Jebusæus, hic in horto patrisfamilias simul sunt salicunca & abies, urtica & myrtus, in grege Jacobi animalia alba & nigra; agni & bædi; in reti Petri pisces boni & mali; in agro Domini lilia inter spinas; in area Domini granum cum palea; in cella Christi vinum cum agræsta, oleum cum amurca; in arca Noe animalia munda & immunda, quæ de re in tract. de Eccles. §. 48. plenius egimus.* Facit autem hæc doctrina non solum ad refutationem Novatianorum, Donatistarum & Anabaptistarum, sed etiam ad nostram commonefactionem, ne putemus sufficere, nos versari in externa visibilis Ecclesiæ societate, & ad Ministrorum verbi consolationem, ne animo propterea nimio opere angantur, si vident tritico zizania & viles malos in auditorum cœtu esse intermixtos, &c.

Consequens executionis est, quod nuptia impleta fuerint discumbentibus. Per τὸν γάμον metonymicè intelligitur locus nuptiali convivio celebrando destinatus, qui dicitur completus discumbentibus, quia omnes mensæ convivis paratæ fuerunt repletæ. Syrus metonymiam exposuit. *Et impleta est domus convivii.* Pro γάμῳ Regius Codex habet οὐμφῶν, quod conclave seu thalamum sponsi & sponsa significat Tob. sexto versic. 15. unde οὐμφῶν dicuntur convivæ nuptiales Matthæ. nono versic. 15. Marc. secund. versic. decimo nono Luc. quinto versic. 34. Participium ἀνακειμένων Latinus Interpres & eum secutus Erasmus reddiderunt discumbentibus, nam phrasi Græcâ casus secundus ponitur pro sexto. Alii reddunt convivis, quia apud Hebræos usitatum est participia usurpari loco nominum verbalium Psalm. 14. versic. secundo Proverb. decim. versic. 20. Galat. secund. versic. 11. 1. Timoth. quinto vers. 21. Sensus eodem recidit, significatur enim tanto numero hospites à servis fuisse adductos & congregatos, ut tandem impleta fuerit arx Regia convivis nuptialibus. Impletio illa in fine seculi demum sequetur, quando in Ecclesiæ consortium adducti fuerint omnes, quos Deus ad illam aggregandos esse ab æterno prævidit & decrevit. Admonet autem nos vox implendi de convivis cœlestium nuptiarum usurpata, 1. de multitudine gentilium ad Ecclesiam Novi Testamenti & regnum Christi vocatorum, quæ in Prophetis oraculis jam olim prædicta. Esa. 2. vers. secund. & tertio Mich. 4. vers. 1. *In diebus novissimis firmus fiet mons domus*

Domini, in vertice montium & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent. Venite, ascendamus ad montem Domini. Esa. 25. vers. 6. faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium. cap. 49. vers. 18. cap. 60. vers. 4. Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, Filii tui de longè venient, & filie tue de latere surgent. vers. 5. Tunc videbis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Matth. 8. v. 11. multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abrahamo & Isaaco & Jacobo in regno caelorum.

Videtur etiam Apostolus Paulus vocem ἀληθινῶν de vocatione gentium usurpata Rom. 11. vers. 25. ex hoc parabola membro desumpsisse. 2. De fidelitate Apostolorum in propagando Evangelio. Marc. 16. vers. 20. profecti predicaverunt ubique, omni scilicet creaturæ, uti iussi erant versic. 15. adduxerunt in Ecclesiam obvios quosque ex omni natione, quæ sub cælo est. Coloss. 1. vers. 28. annunciamus Christum, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo. 3. De certitudine divinæ prædestinationis. Significatur enim per hanc nuptialis domus impletionem, non defuturum quenquam prædestinatorum nuptiali convivio, sed omnes, qui ad vitam à Deo prædestinati sunt, ad nuptias hasce vocandos & adducendos, antequam mundi finis sequatur. 2. Petr. 3. v. 9. (quamvis non soli electi, sed etiam hypocritæ sint in externa Ecclesiæ societate) 4. De perpetua Ecclesiæ conservatione in hoc mundo. Nihil quicquam vel celebritati & festivitati vel frequentia & plenitudini nuptiarum deceffit ex eo, quod illi, qui primi invitati erant, venire noluerunt, quinimò occasionem hac ratione præbuerunt, ut plures invitarentur & venirent, unde Apostolus Rom. 11. vers. 12. dicit, delictum Judæorum fuisse divitias mundi, & diminutionem Judæorum fuisse divitias gentium.

Vidimus hætenus secundum parabola membrum, quod exponit conviviarum ad nuptias invitationem, hoc est, tum Judæorum, tum gentium vocationem, sequitur jam tertium, quod continet conviviarum lustrationem. Hætenus proposuit nobis Christus considerandam Regis cælestis benignitatem, & sollicitudinem in vocandis ad spirituale convivium suum tum Judæis tum gentibus, in posterum describit providam ejus curam erga convivas, qui vocationi obsequentes in mensis nuptialibus discubuerant. Quidam statuunt hoc membrum duntaxat de gentium vocatione agere, cum de solis illis dicatur, quod vocationi ad nuptias locum dederint. Existimant igitur, Christum hic occurrere voluisse tum tacite Judæorum objectioni, quæ regnum Dei sibi auferri, ac gentibus tanto numero ad Ecclesiam accurrentibus dari animadvertentes uti potuissent ac dicere: Ergone προσωποληψία est apud Deum, ut nobis ob incredulitatem & Messie contemptum repudiatis, gentiles promiscuè occurrentes, tam malos, quam bonos salvare velit solo isthoc nomine, quia in Christum se credere profiterentur, & Ecclesiæ Christi externa societate sese con-

jungunt: tum falsa gentium persuasioni, quasi parum referat, quocunque modo sese in nuptiis gererent, quove vestitu in illis comparerent, cum sufficere videatur, quod vocationi locum dederint & mensis nuptialibus accubuerint. Hac ratione lustratio conviviarum non deberet statui tertium principale & generale hujus parabola membrum, sed in specie ad gentium duntaxat vocationem videl. ad ejus consequens esset referendum. Atqui monuimus superius, quemadmodum pronunciatum Christi de vocatione gentium, quod servi Regis omnes, quotquot invenerunt, congregaverint, non est eo sensu accipiendum, quasi omnes gentiles, quibus Evangelium de Christo prædicatum est, vocationi locum dederint: ita quoque prius pronunciatum de vocatione Judæorum, quod venire noluerint, nequaquam eo sensu esse accipiendum, quasi nulli omnino Judæi Evangelium de Christo receperint, sed quod multi ex gentibus, pauci verò ex Judæis ad Christum conversi fuerint. Proinde quod de lustratione conviviarum sequitur, illud in genere agit de omnibus, qui vocationem Regis amplexi ad nuptias venerunt, sive fuerint ex Judæis sive ex gentilibus ad eas vocati, sicut etiam ἡ ἐπιπαιγετική sive epiphonema parabola, quod multi sint vocati, pauci verò electi, de utroque vocatorum genere intelligendum, ut suo loco demonstrabitur. Rectè igitur hæc lustratio conviviarum statuitur tertium præsentis parabola membrum, quod convivii nuptialis instructionem & conviviarum ad illud invitationem convenientissimo ordine excipit. Describitur autem hæc lustratio primò in genere, secundò in specie, ratione certi alicujus effecti & consequentis. Ad generalem descriptionem hoc pertinet: Ingressus autem est Rex, ut videret discumbentes. εἰσελθὼν in locum scilicet convivii nuptialis, in quo discumbebant adducti à servis. Quia Rex intrasse dicitur, eo ipso præsupponitur, quod ob dignitatem regiam in peculiari cœnaculo cum suis aulicis mensæ assederit. Id pulchrè rei per parabola significatæ congruit. Ante diem novissimi judicii, in quo instituetur hæc lustratio, DEUS cum sanctis Angelis & beatis animabus in cælo ineffabilibus gaudiis fruatur, ibi CHRISTUS in regno cælesti habet mensam Luc. 22. vers. 30. cui jamdum assident Abrahamus, Isaacus & Jacobus Matthæ. 8. versic. 11. sed in die novissimo Christus quasi surget de sua mensa, & inter convivas nuptiales, id est, inter cives Ecclesiæ in his terris militantis lustrationem instituet, verè credentes & pios ad gaudia cælestium nuptiarum introducet Apoc. 19. versic. septimo; impios verò, incredulos & hypocritas à piis, quibus in hac vita intermixti fuerunt, separatos in ignem infernalem abiiciet. Quidam hunc ingressum Regis sic interpretantur, quod voluerit convivium nuptiale suâ præsentia honorare & convivas exhilarare, sicut in terrenis nuptiis fieri consuevit, ut sponsus & ipsius parens nuptiales convivas ad hilaritatem exhortentur. Sed Christus in parabola hujus ingressus alium statuit finem, videlicet ut videret discumbentes. εἰσελθὼν, cui respondet Hebræum וַיֵּיבֹא , quo Syrus hoc loco utitur, significat accuratam contemplationem,

ut alibi ostendimus. Quemadmodum igitur in nuptiis terrenis sponsus ac parens sponsi etiam hoc sine locum convivii ingrediuntur, ut videant an convivis & convivio nuptiali sese immiscuerint alii, ad quos illud minimè pertinet: ita quoque sine eo Rex ingreditur hic convivii locum, ut videret ac discerneret discumbentes. Quia verò Rex non solum voluit videre ac discernere convivas, sed etiam ad meritas pœnas revocare eos, qui non induti veste nuptiali in nuptiis comparuerant, id eò & videre hic intelligendum cum effectu & consequente. *Ingressus est, ut videret scilicet per effectum puniendi, quo sensu verbum videndi usurpatur Gen. 18. v. 21. Descendam & videbo. Exod. 5. v. 21. videat Dominus & judicet. 2. Paral. 24. v. 22. Videat Dominus & requirat, &c.* Dicitur enim Deus videre & audire, quando re ipsa, videl. pœna inflictione & populi sui liberatione, adeoque ipso actu ostendit se videre populi sui afflictionem, & gemitus ejus audire. Ingressiatur autem Rex cœlestis, ut videat convivas, in die demum novissimo. Quidam putant hoc impleri in vita præsentè, quando Deus interna visitatione cor unius cujusque commonet, aut quando in hora mortis vita prius actæ rationem ab homine requirit. Chrysostomus hom. 61. ad Antioch. *Nunc in conscientia dicit, socii, quomodo adestis hic, non habentes vestem nuptialem? Non dixit, quare discubistis? Sed ante reclinationem & ingressum dixit, quomodo hic intrasti? Aut imperf. oper. itidem statuit, tunc Regem ingredi, quando Deus tentat homines, ut appareat quantum quisque virtutis habeat, & an loco, quem in Ecclesia tenet, dignus sit.* Sed ex parabola manifestum est, de ejusmodi visitatione & lustratione Christum hoc loco agere, quæ sequetur in extremo judicio, præmittitur enim, quod repletæ fuerint nuptiæ discumbentibus, id verò in ipso diei novissimi momento demum fiet, quando plenitudo Judæorum & gentium fuerit ingressa; ac sequitur, quod in hac lustratione inventus non habens vestem nuptialem abjectus fuerit in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium, quam esse infernalium pœnarum (in corporibus & animabus ab impiis sustinendarum) descriptionem manifestum est. Ergò in die novissimo demum Rex cœlestis visitationem Ecclesiæ suæ, à qua coram oculis insipientium jam abesse videtur, instituet, ut videat, an omnes regalibus hisce nuptiis dignè interfuerint, & quomodo in prandio nuptiali sese gesserint; quos veste nuptiali indutos inveniet ac honestè se gessisse deprehendet, eos solos ad cœnam nuptiarum Agni admittet, reliquos ab ea exclusis & separatis Apoc. 19. v. 7. cap. 21. v. 27. c. 22. v. 15. interim non negamus, Deum etiam in hac vita Ecclesiam suam visitare & probè attendere, quomodo amici sponsi Joh. 3. vers. 29. ac economi domus sue 1. Cor. 4. vers. 1. 1. Tim. 3. vers. 15. hoc est, ministri Ecclesiæ in officio suo sese gerant, an sint fideles & prudentes, ut dent familia Domini sui in tempore justum cibi demensum Luc. 12. v. 42. an prudenter discernant, quibus in convivio nuptiali lac dandum sit, quibus verò solida competat esca. 1. Cor. 3. v. 2. an noverint eò doro pœnæ verbum veritatis 2. Tim. 2. vers. 15. (quam metaphoram à convivii apparitoribus & dapum instructoribus ductam esse haud absurdè statuitur) an purum doctrinæ cœlestis vinum, an verò

Harm Tom. II, vel Gerhard. Contin. pars prima.

aqua humanarum traditionum dilutum convivis exhibeant. Esa. 1. v. 22. &c. Videt etiam, quomodo convivæ, id est, auditores in his nuptiis sese gerant, an sint moribus satis compositis, an porcorum siliquas regiis dapibus præferant, an ex convivii loco proterve aufugiant, &c. Proinde quod Rex tunc demum vidisse dicitur convivas, cum nuptiæ jam essent plenæ discumbentibus, id non est accipiendum *exclusivè*, quasi Deus ante extremum judicium non videat, nec consideret, quomodo cives Ecclesiæ in terris militantis sese gerant, nec discernere possit hypocritas à verè piis & credentibus: sed illud duntaxat significatur, Deum in hac vita adhuc tolerare hypocritas in externa Ecclesiæ societate, non producere eorum hypocritin & occultam impietatem in publicam lucem Psal. 50. v. 21. nec ad pœnas pro meritis illos statim revocare, sed spacium pœnitentiæ ipsis adhuc concedere. Quamvis verò in morte cuiusque fiat separatio bonorum & malorum, ac animæ piorum in cœlum subvehantur, impiorum verò in infernum detrudantur, universalis tamen & publica malorum à bonis separatio, ut & complementum tam gaudiorum cœlestium, quam pœnarum infernalium sequetur demum in die novissimo. Quod Rex ac pater sponsi dicitur intrasse, ut videret discumbentes, illud ratione rei significatæ sic accipiendum, quod unà cum Sponso & filio suo, adeoque per ipsum hoc fecerit, quod in hac convivarum nuptialium lustratione contigit: Constituit enim Rex cœlestis diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in aequitate, in viro, in quo statuit Act. 17. vers. 31. hoc est, in filio suo, cui tradidit omne judicium Joh. 5. vers. 22. quem constituit judicem vivorum & mortuorum Act. 10. vers. 42. interim quia Pater judicat per Filium, & quia Patris ac Filii est una essentia & æqualis potentia, ac Filius non potest quicquam à se facere Joh. 5. vers. 17. id eò etiam Patri visitatio convivarum nuptialium in die novissimo secutura rectè tribuitur. Dan. 7. v. 9. Joh. 8. v. 50. 1. Pet. 2. v. 23. Theophylactus ex hac convivarum lustratione colligit, quod invitatio ad nuptias, quæ fit per prædicationem verbi in hac vita, sit generalis, ac sine discrimine omnes admittit, cum sit grati favoris, deinde verò eorum, qui accesserunt & intrarunt, vita non est *diversæ* & *expers* inquisitionis, sed in die novissimo sequetur visitatio, quando Rex super majestatis suæ thronum sedens congregabit coram se omnes gentes, & separabit eas invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis Matth. 25. vers. 32. Augustinus in Psal. 58. ex hoc loco colligit, quod servorum sit invitare, Domini verò separare. Non ergò blandiamur nobis ob externum cum visibili Ecclesia consortium, sed noverimus secuturam aliquando visitationem, in qua accurata instituetur inquisitio, an Sacramentorum & donorum, quæ sunt in Ecclesia, communionem rectè fuerimus usi, an in prandio nuptiali, id est, in Ecclesiæ militantis consortio ita nos gesserimus, ac *vocatione nostrâ dignè ambulaverimus.* Ephes. 4. vers. 1. ut ad cœnam nuptiarum Agni admitti possimus Apocal. 19. vers. 7.

Specialis effectus & consequens hujus lustrationis est, quod viderit illic hominem non indutum veste nuptiali, quem propterea primò verbis re-

Kk 4

dar-

darguit, & cum non haberet, quod excusationis loco obverteret, pœnæ gravissima eum subjecit. Per vestem nuptialem in sensu literali intelligitur vestis decens nuptiarum solennium, præsertim regiarum, apparatus. Fuit enim apud omnes gentes, ac proinde etiam apud Israeliticum populum usitatum, ut non solum sponsus & sponsa exornarentur Genes. 24. v. 53. Psalm. 45. v. 10. & 15. Cant. 3. v. 11. cap. 4. v. 1. & 9. Esa. 61. v. 10. Jere. 2. v. 32. Ezech. 16. v. 10. & seqq. (unde Hebræis sponsa vocatur *כלה* à consummatione & perfectione, quod tempore nuptiarum omnibus suis ornamentis induta perfectè & tota sit pulchra) sed etiam convivia nuptiales in honorem conjugii vestitum alihonestiorem & vulgari splendidiorem assumerent. Cùm enim habuerint vestes suas mutatorias (*שמלות חליפות mutationes vestium*. Targum reddit *solus vestium*, id est, vestes preciosiores, quæ alternatim aut per vices induuntur, quæ apud Homerum *οδυς*. 8. Dicuntur *ιμαλα ἐξαιμῶσα*) sicut Romani habebant vestes suas *cenatorias*, quibus induti cibum sumebant, ex eo verisimiliter colligitur, quod etiam in nuptiis preciosioribus illis ac mutatoriis vestimentis usi fuerint. Ex Jud. 14. v. 12. probabiliter colligitur, fuisse in nuptiis usitatum, ut sponsus quibusdam conviviis nuptialibus, præsertim apparitoribus suis ac lætitiæ sociis ejusmodi mutatorias vestes daret, sicut Gen. 24. v. 53. Eleazarus Isaaci sponsi proxeneta cognatis Rebecca sponsæ offert munera, & adhuc hodie aliquibus in locis usu receptum, ut sponsus proximis sponsæ cognatis splendida vestimenta distribuatur, id quod rei per parabolam hanc significatæ pulchrè congruit, quia à Christo cœlesti sponso accipienda illa vestis, qua in spiritualibus & cœlestibus hisce nuptiis nos ornemus. Quidam negationem positam esse statuerunt pro contrario affirmato, ut non indutus veste nuptiali sit idem, quod indutus veste vili, fordida ac lacera nuptiis regis indigna. Ut enim honesta vestis ornat nuptias, in quibus omnia debent esse honesta ac splendida, & declarat animum erga sponsum & convivii nuptialis socios reverenter & hilariter affectum: sic qui indutus vili & fordida veste nuptiis, præsertim Regis, sese ingerit, non exhibet debitum honorem sponso & ejus nuptiis, sed contemptorem sponsi & cœtus nuptialis sese demonstrat. Sed scopus Christi in eo potius consistit, quod ostendere voluerit defectum alicujus rei necessaria in eo, qui nuptiis interfuit, quam positionem alicujus rei indecentis & inhonestæ, consequenter tamen ex priore posterius inferitur. Si enim ex convivio nuptiali ejectus fuit, qui caruit veste nuptiali, ac vulgaribus vestimentis indutus assedit, quanto minus in hoc convivio tolerabitur, qui fordida & oculos sponsi atque convivarum offendente veste indutus fuerit. Quidam statuunt, apud Judæos certum aliquod vestimenti genus fuisse, quo in nuptiis indui fuerint soliti, sicut apud nos vestis pulla in lectu est usitata, quam nuptialem vestem existimant fuisse preciosam, jucundam, & ad exhilarandos spectantium oculos accommodatam, qualis solet esse vestis ex bysso sive linteo ac serico candidissimo parata. Sed hujus conjecturæ vix poterunt vestigia aliqua ex Judæorum scriptoribus as-

ferri, ac Hilarius observat, si certus ex consuetudine convivantium in nuptiis habitus solitus fuisse, ab invitantibus & ministris hunc potuisse prohiberi, sufficit igitur ad scopum parabola, quod mutatoris seu preciosioribus suis vestibus, quibus festivi diebus & in solennioribus conviviis uti solebant, in nuptiis induti fuerint. Quid verò per hanc nuptialem vestem in sensu mystico intelligendum sit, de eo videntur diverse apud veteres occurrere sententiæ, quæ tamen varietas beneficio distinctionis facile ad concordiam redigi potest. Per hanc enim vestem nuptialem vel *unicè* vel *principaliter* vera fides in Christum intelligitur. *Unicè* quidem, si per vestem nuptialem intelligere velimus eam, quæ nos Regi cœlesti, nuptiarum harum instructori & sponsi cœlestis Christi Jesu patri, gratos & acceptos reddit, & coram ipsius judicio consistit, justitiam; testatur enim tota Scriptura, nihil quicquam dari posse, propter quod in gratiam à Deo recipiamur ac peccatorum remissionem & vitam æternam consequamur, quam justitiam Christi vera fide nobis imputatam. *Principaliter* verò & *principaliter*, si per vestem nuptialem intelligere velimus totum illum ornatum & decorem spiritualem, qui in renatis conspicitur, vera enim fides non est otiosa & mortua, sed *efficax per caritatem* Galat. 5. v. 6. & exerit se per *fructus Spiritus* 7. 22. enumeratos, qui ipsi quoque in renatis Deo placent, quando scilicet persona per fidem in Christum prius est Deo reconciliata. Hac renatorum vestis est simul rubra & alba. *Rubra* ratione sanguinis & meriti Christi per fidem imputati; *alba* ratione puritatis vitæ coram mundo splendentis Apoc. 7. vers. 13. Ex hoc fundamento explicari potest diversitas interpretationum, quæ apud pios veteres occurrit. Quidam enim per hanc vestem nuptialem intelligunt fidem in Christum. Basil. in cap. 9. Esa. tom. 3. pag. 448. *Sanè Christianorum vestimentum, obnubens peccati turpitudinem, fides est, qua in Christum credimus, quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Autor oper. imperf. tom. 2. col. 1043. *Nuptiale vestimentum est fides vera, quæ est per Jesum Christum & justitiam ejus.* Ambros. lib. 4. de fide c. 1. vocat *nuptiale fidei vestimentum*. Augustinus lib. 2. qq. Evangelic. cap. 13. de Dæmoniaco à Christo sanato: *Quod sine vestimento erat, significat, quod fidem non habebat.* Euseb. Emisenus in homil. item de fide exponit. Alii verò per hanc vestem intelligunt caritatem, dona Spiritus sancti, studium bonorum operum &c. quæ à vera fide nunquam sunt separata ac per quæ fides, si vera sit & viva, exterius sese profert. Iren. lib. 4. adv. hæres. c. 70. p. 304. *Manifestavit (Christus) oportere nos vocatione & justitiæ operibus adornari, uti requiescat super nos Spiritus Dei; hoc est enim indumentum nuptiarum, de quo & Apostolus ait, nolumus expoliari, sed superindui, uti absorbeat moralem ab immortalitate.* Quia autem vocati quidem sunt ad cœnam Dei, & propter malam conversationem non perceperunt Spiritum sanctum, projiciantur in tenebras exteriores. Tertull. lib. de resurrect. carnis c. 27. p. 327. *In Evangelio indumentum nuptiale sanctitas carnis agnoscitur potest.* Origenes tract. 20. in Matth. p. 105. *Quia unus sunt generis omnes, qui servant malitiam post fidem, quam habuerant ante fidem, & non deponunt eam, arguit*

eos, quasi qui malefecerint, eo quod ausi sunt in huiusmodi nuptias introire, non recipientes digna nuptiis indumenta, id est, texturam virtutum claram vestem, de qua etiam Salomon in Ecclesiaste precipit, dicens: In omni tempore sint vestimenta tua candida. Hilar. can. 22. in Matth. pag. 313. Vestitus nuptialis est gloria Spiritus sancti & candor habitus celestis, qui bonae interrogationis confessione susceptus usque in cœtum regni caelorum immaculatus & integer reservatur. Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 6. tom. 1. pag. 156. ille rejicitur, qui non habet vestem nuptialem; hoc est, amictum caritatis, vel amen gratiæ. Hieronymus in c. 22. Matth. Vestis nuptialis præcepta sunt Domini & opera; quæ complentur ex lege & Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum. Si quis igitur in tempore iudicii inventus fuerit sub nomine Christiano, non habere vestem nuptialem, hoc est, vestem supercælestis hominis, sed vestem pollutam, id est, veteris hominis exuvias, hic statim corripitur &c. Augustinus lib. ad Donatist. post collat. cap. 20. Illi non habent vestem nuptialem, id est, fidissimam sponsi caritatem, sua querentes, non quæ Christi sunt. lib. 22. contra Faustum cap. 19. Sine veste nuptiali sacras adit nuptias. qui suam, non sponsi gloriam querit, ubi tamen modestè addit: vel si quid forte aliud illa vestis meliore intellectu significare invenitur. Gregor. hom. 38. in Evang. col. 139. Rectè caritas nuptialis vestis vocatur, quia hanc in se conditor nosfer habuit, dum ad associandæ sibi Ecclesiæ nuptias venit, sicut in duobus lignis, superiore videlicet & inferiore vestis textitur, ita in duobus præceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei & proximi. Leo serm. 12. de quadrag. c. 1. explicat de veste virtutum. Sed ex allata distinctione manifestum est, hasce expositiones nequaquam sibi invicem adversari. Vestis nuptialis Christus est, qui & sponsus & cibus etiam est in his nuptiis. Christum autem induimus, tum fide ejus meritum apprehendendo, ut nuditas nostra coram Dei iudicio ipsius iustitia tanquam preciosa veste tegatur Galat. 3. v. 26. 27. tum sancta vitæ conversatione, qua ipsius vestigiis instimus Rom. 13. vers. 14. cum Christus non solum nobis datus sit in donum, sed etiam propositus in exemplum. Pontificii hanc nostram interpretationem, qua statuimus per vestem nuptialem intelligi iustitiam Christi, fide nobis imputatam, vel, quod idem est, fidem meritum Christi apprehendentem, repudiant, & solam caritatem vel bona opera vestis nuptialis nomine intelligenda esse statuunt, ut ex Janzenio, Maldonato, Barradio, & Salmerone in hunc loc. Bellarm. lib. 1. de iustif. c. 15. arg. 4. & aliis constat. Sed probamus nostram interpretationem 1. ex hac ipsa parabola. Tale quid per vestem nuptialem vel unicè vel præcipuè hic intelligitur, quod prohibet, quò minus abiciamur in tenebras exteriores & æternas, ut patet ex pœna destituto veste nuptiali irrogata. Jam verò iustitia Christi per fidem imputata est illud, quod prohibet, quò minus abiciamur in tenebras æternas. Nostra operum iustitia illud præstare nequit, quia omnes cum Davide orare cogimur: Domine, si imputare peccata decreveris, quis sustinebit? Psalm. 130. vers. 3. Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Omnes ad iudicium Dei vocati & rationem factorum reddere iussi cogimur obmu-

tescere: non possumus ad unum ex mille respondere Job. 9. vers. 3. omnes fateri cogimur, etiam si omnia fecerimus, quæ præcepta sunt nobis, nos tamen esse servos inutiles. Luc. 17. v. 10. Jam verò servus inutilis dignus est, qui in tenebras exteriores abiciatur Matth. 25. v. 30. quomodo igitur per nostram inherentem vel actualem operum iustitiam coram Dei iudicio subsistere possemus? Deinde tale quid per vestem nuptialem hic intelligitur, cuius defectus est causa immediata & adæquata, propter quam homines in tenebras exteriores ejiciuntur, ut constat ex parabola. Jam verò incredulitas sive carentia fidei est immediata & adæquata causa, propter quam homines in tenebras exteriores ejiciuntur, id est, damnantur Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 36. cap. 16. v. 9. &c. Ergo per defectum vestis nuptialis intelligitur incredulitas sive carentia fidei, & per consequens vestis nuptialis est fides, à contrario sensu argumentum ducendo. Denique tale quid per vestem nuptialem intelligitur, in quo & per quod electi sumus ad vitam æternam, ut docet conclusio parabolæ αιτιολογιας subjecta. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Jam verò fides est illud salutare medium, & quidem unicum, quo Christum apprehendimus, in quo ad vitam æternam electi sumus Ephes. 1. v. 4. unde dicimur electi in fide 2. Thes. 2. v. 13. Jac. 2. v. 5. ac fides Christi vocatur fides electorum Tit. 1. v. 1. Utiq; ergo per vestem nuptialem fides intelligitur. Confero hic locum Apostolicum Rom. 11. vers. 20. ubi de reiectione Judæorum & vocatione gentilium sic loquitur: per incredulitatem fracti sunt rami, tu autem fide stas, cum dicto Christi Matth. 21. v. 42. auferetur à vobis (Judæis) regnum Dei & dabitur genti facienti fructus ejus, qui fructus proficiuntur ex vera in Christum fide. Ergo in hac parabola, quæ ἐξ ηγησεως loco prædictioni isti à Christo fuit subjecta, per vestem nuptialem intelligitur fides, quæ in bonis operibus nos facit fertiles. 2. Ex parallelis Scripture locis. Psalm. 32. vers. 2. Beatus, cuius peccatum est tectum. Tegere est proprium vestis officium. Ecquid verò aliud est, quod spiritualem nostram nuditatem coram Dei iudicio tegere possit, quam pallium iustitiæ à Christo nobis promerita? in ipso cælestis Pater nos gratos habet & acceptos. Ephes. 1. v. 6. Sicut propitiatorium in Vet. Testam. tegebatur tabulas Decalogi in arca fœderis reconditas: sic Christus est unicum illud propitiatorium Rom. 3. vers. 25. & umbraculum gratiæ, quod tegit peccata nostra contra Decalogi tabulas commissa, proinde etiam est splendida & preciosa illis vestis, quæ peccati turpitudinem & spiritualement nuditatem in nobis tegit. Suadeo tibi, inquit Apoc. 3. vers. 18. emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tue. Inde cum Paulus oraculum Davidicum Psalm. 32. v. 2. adduceret, illud sic ὁ Θεὸς ὁμοιωθεὶς Rom. 3. v. 6. David dicit beatitudinem hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. Quæ vero est illa iustitia? Nostra habitualis vel actualis iustitia esse nequit, illa enim nobis non imputatur, sed inhæret, illa quoque cum imperfecta sit & immunda, non potest peccata nostra tegere. Christi igitur iustitia est, de qua Apostolus ibi loquitur, illa per fidem nobis imputatur, ut peccati fordes nobis adhuc

adhuc adhærentes tegat, ne propter eas coram Dei iudicio damnemur Psal. 45. v. 10. *Astitit filia (sponsa) à dextris tuis in auro Ophir sive optimo* vers. 14. *omnis gloria filie Regis ad intra, ex vestibis auro ocellatis indumentum eius* vers. 15. *in vestibis acupictis adducetur Regi.* Hoc aurum est vera fides in Christum, qua sponsi sui iustitiam Christi sponsa induit 1. Pet. 1. v. 7. de qua veste exultabunda pronunciat Esa. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitia operuit me quasi sponsum Sacerdotali ornatu, & quasi sponsam ornata monilibus suis.* Sicut sponsus ornat sponsam suam splendidis vestibus Gen. 24. v. 53. sic Christus vestem iustitiæ suæ donat sponsæ, ut in ea oculis Regis cœlestis placeat. Ezech. 16. vers. 8. *Expandi alam vestimenti mei super te, & operui ignominiam tuam.* vers. 10. *vestivi te discoloribus & calceavi te hyacintho & cinxi te bysso & operui te serico, &c.* Apostolus disertis verbis docet, nos fide Christum induere Gal. 3. vers. 26. *omnes filii Dei estis per fidem in Christo,* vers. 27. *Quicumque enim baptizati estis, Christum induistis.* Utique ergo Christus, vel quod idem est, Christi iustitia est vestis illa, quam fide induimus, ut Deo per illam placeamus Apoc. 19. v. 7. *datum est sponsæ, ut operiat se byssino, byssinum autem sunt rē dixaiōmata sanctorum.* Per illa *dixaiōmata* intelligitur Christi iustitia sive obœdientia legi ab ipso præstita, ut patet ex Rom. 5. v. 18. c. 8. v. 4. una quidem est Christi iustitia ratione meriti ac precii, interim quia omnibus credentibus imputatur, iisque sufficit ad iustitiam & salutem, idē in plurali dicitur *rē dixaiōmata.* 3. *Ex fidei analogia.* Si vel maximè vestis nuptialis nomine intelligere velimus totum illum ornatum & decorem spiritualem, qui in renatis conspicitur, cum jubeamur induere Christum per sanctam vitæ conversationem Rom. 13. vers. 1. *arma lucis,* v. 12. *novum hominem* Eph. 4. vers. 24. *viscera misericordie, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam* Col. 3. v. 12. contra verò *veterem hominem cum actibus suis exuere* Eph. 4. v. 22. Col. 3. v. 9. *deponere & odio habere pollutam carnis tunicam* Jud. vers. 23. hoc est, per veram pœnitentiam ad Deum nos convertere, & vitam sanctam omnis generis virtutibus ornata & à sordibus peccatorum voluntariorum alienam ducere, *in novitate vitæ ambulare* Rom. 6. v. 4. *Spiritu actionis carnis mortificare.* Rom. 8. vers. 13. tamen ab hoc ornatu renatorum, ac proinde etiam à veste nuptiali fides excludi nequit, cum sit essentialis & præcipua pars, imò anima veræ pœnitentiæ ac genitrix omnium verè bonorum operum. Ut enim *sine fide nemo potest Deo placere* Hebr. 11. vers. 6. ita quoque, *quicquid non sit ex fide, peccatum est* Rom. 14. v. 23. Gentiles itidem externæ honestati & virtutibus operam dederunt, sed quia vera in Christum fide destituti fuerunt, inde eorum opera non fuerunt vestis nuptialis Deo placens. 4. *Ex typis.* Deus primos homines *ad imaginem suam in iustitia & sanctitate veritatis* considerat Genes. 1. v. 27. Eph. 4. v. 24. hæc fuit splendida & preciosa vestis, in qua & per quam in statu innocentie Deo placuerunt. Sed Satanas infernalis ille latro iustitiæ originalis veste eos exuerat Luc. 10. vers. 30. ut coram Deo essent *miseri & miserabiles, pauperes, cæci & nudi* Apoc. 3. vers. 17. unde propter interio-

rem illam nuditatem exterior corporis nuditas pudorem ipsis incutiebatur Gen. 3. v. 17. hæc nuditas ab ipsis in omnes posteros, qui in ipforum lumbis hærebant, cum illam per peccatum contraherent, propagatur: siquidem *nulla est hic distinctio, omnes sunt peccatores & destituuntur gloria Dei* Rom. 3. vers. 23. ac quod gravius est, huic nuditati conjuncta est pollutio & contaminatio, *videt enim nos Deus jacentes in nostro sanguine,* Ezech. 16. vers. 6. quia per peccatum primorum parentum non solum concreta iustitia est amissa, sed etiam Natura humana miserè corrupta & depravata: *sumus squaliati gratiis & vulnerati in naturalibus.* Propter hanc nuditatem indigemus quadam veste, qua coram Dei oculis Sole lucidioribus eadem tegatur. Quæ verò illa? Nuditatis nostra est spiritualis, proinde etiam vestem, quæ tegere eam possit, oportet esse spirituales, holofæricæ & auro intertexta vestimenta parum hic prouderunt, exteriora illa corporis integumenta sunt reatus nostri indicia, tantum abest, ut spirituales nostram nuditatem & peccati turpitudinem coram Deo tegere possint. Sed nec carnalis iustitia potest hunc tegendi usum præstare. Primi parentes *consuebant sibi perizomata ex foliis ficus* Gen. 3. vers. 7. sed non poterant illis suam nuditatem tegere. Perizomata illa sunt typus externæ, carnalis & hypocriticæ iustitiæ, quam quærunt iustitiam coram Deo statueri & erigere Rom. 10. vers. 3. sed quia operum iustitiæ & exterior obœdientia legi præstita est imperfecta, idē hæc vestis est nimis angusta & succincta, quominus nuditatem nostram tegere possit Esa. 59. v. 6. *tele eorum non erunt pro vestimento, nec tegentur operibus suis.* Sed nec fimbria Pharisæicarum traditionum & *θελοφρονειων* id præstare potest Math. 23. v. 5. multo minùs cuculla Monastica, in cuius benedictione orat sacrificulus, ut sit *armatura contra Satanam, atque ea tegantur peccata coram Deo.* Unde Reges & Principes post mortem ea indui voluerunt, sed miserè decepti sunt. Quid ergo tandem poterit nostram coram Deo nuditatem tegere? Id verò luculentè ostendit Moses, quando dicit, Deum humani generis in peccatum & mortem prolapsi miserum proposuisse primis parentibus Evangelicam promissionem de *semine mulieris contrituro caput serpentis* Gen. 3. v. 15. Promisit ergo, Filium suum humanam Naturam ex virgine assumpturum, inque assumpta carne pro peccatis perfectè satisfacturum, & perfectam iustitiam iterum abducturum, qua possint coram Dei iudicio subsistere, si fide eam sibi applicant, in cuius rei typum fecit ipsis *tunicas pelliceas*, ex agnis scilicet mactatis & in sacrificium typicum oblati, quibus induit eos v. 21. Admonuit igitur ipsos, fore ut in plenitudinem temporis Messias per sacrificia præfiguratus mactetur, ut paret vestem iustitiæ, qua credentes indui coram Dei iudicio possint subsistere. Chaldaus reddidit: *Fecit illis vestes honoris sive splendoris, quod optimè congruit huic vestis, iustitiæ Christi, quæ est vestis contexta ex lana Agni obmutescens coram se tondentibus confecta* Esa. 53. v. 7. Joh. 1. 29. & piis omnibus per fidem induta. Quando ergo loco perizomatium ab ipsis confutorum Deus primis parentibus fecit tunicas pelliceas, re ipsa hoc dixit: *Vestra perizomata ficulnea non poterunt peccati turpitudinem tegere*

gere, Messias promissum illud semen mulieris in ara crucis mactabitur, quando scilicet serpens infernalis insidiabitur calcaneo ipsius. Hic est verus ille Agnus, qui tollit peccata mundi, ipsius iustitia, passione & morte parta, instar vestis peccata vestra tegere poterit. Genes. 27. vers. 16. Jacob vestitus pellibus hædorum, consequitur benedictionem à Patre Isaac: ita quoque vestiti & induiti Christi iustitia benedictionem à Patre cœlesti impetramus. Præfiguratus enim est Christus per hircum sive hædum in desertum emissum, cui peccata populi Israëliti imponebantur Lev. 10. vers. 21. cum ipsi imposta sint totius mundi peccata, ut ipsius iustitia credentes vestiri atque indui, & in hac veste Deo placere possent. Hac de re Albertus Piggus scriptor alioqui Pontificius controvers. 2. de Justif. piè & eruditè sic disserit. *In Christi obædientia quod nostra collocatur iustitia, inde est, quod nobis illi incorporatis, ac si nostra esset, accepta ea fertur, ita ut eâ ipsâ etiam nos iusti habeamur. Et velut ille quondam Jacob, cum natiuitate primogenitus non esset, sub habitu fratris occultatus atq; eius veste indutus, qua odorem optimi spirabat, seipsum insinuauit Patri, ut sub aliena persona benedictionem primogenituræ acciperet, ita & nos sub Christi primogeniti fratris nostri preciosa puritate delitescere, bono eius odore fragrare, ejus perfectione vitæ nostræ sepeliri & obtegi, atq; ita nos piissimo Patri ingerere, ut iustitia benedictionem ab eodem assequamur, necesse est.* Huc etiam referri possunt vestes Sacerdotes Aaronis Exod. 28. descriptæ, quibus eum indui oportuit, si quando in tabernaculo fœderis sacrificia Deo grata offerre voluit. Hoc à Davide Ps. 110. v. 3. applicatur ad spirituales N. T. Sacerdotes (hoc est ad omnes verè credentes Apoc. 1. v. 6.) *Populus tuus spontanea tibi offeret sacrificia inornatu sancto vel in splendoribus sanctitatis.* Hic ornatus est Christi iustitia, quam vera fide nobis applicamus & induimus, in hoc ornatu placent Deo spiritualia nostra sacrificia. 5. *Ex comparatione.* Quicquid vestis corpori præstat, illud etiam iustitia Christi per fidem imputata nobis confert. Vestis tegit corporis nuditatem, sic Christi iustitia spirituales nostram coram Deo nuditatem tegit. Apoc. 3. v. 18. atq; operit verenda fomitis in carne adhuc latentis. Vestis defendit à frigore: sic Christi iustitia munit nos contra frigus peccati, quod torpentes in bonis operibus reddit. Vestis defendit etiam à calore & æstu, sic Christi iustitia munit nos contra æstum iræ divinæ Joh. 5. v. 24. & ærumnarum hujus vitæ. Vestis hominem ornat, sicut in vulgari versiculo dicitur:

Namq; viro vestis magnum decus addit honestatè.

Sic Christi iustitia per fidem nobis imputata est spirituale illud ornamentum, in quo & per quod Deo placemus; hæc vestis honorabilem facit Regiam, id est animam Christi sponfam, meritis ejus velut caro precio emtam. Prohibuerat Deus Israelitis Deut. 22. v. 11. *ne induerentur vestimento, quod ex lana, linog; esset contextum.* Significatum fuit, in articulo justificationis bona opera non esse cum fide ita commiscenda, ut fiducia iustitiæ coram Deo valentis ex parte in bonis operibus statuatur, sed coram Dei facie veste ex lana Agni contexta, id est, Christi iustitia unice niti debemus, non autem linum operum nostrorum ei-

dem intertexere, id est, statuere, quod partim fide, partim operibus coram Deo justificemur. 6. *Ex suffragio saniorum quorundam Pontificiorum,* (Patrum enim dicta jam ante adduximus) Stapulensis in hunc locum Matth. scribit: *Vestis nuptialis fides Christi est, & pura ex fidei regeneratione innocentia.* Ferus in Matth. sic commentatur. *Vestis nuptialis est Christus. Ea dupliciter induitur, internè per fidem, cum tuis peccatis superinduis Christi iustitiam, tuis demeritis ipsius merita, tua inobedientia ipsius obædientiam; deinde cum externè ejus caritatem emularis,* Blasius de virga in com. Apoc. 5. pag. 243. inter causas, propter quas Christus dicatur Agnus, etiam hanc recenset, quod *Christi meritis tanquam vellere Agni induamur,* quam dicit esse rationem Nazianzeni orat. in sanctum pascha, quod etiam accommodat illud Hieronymi in cap. 53. Esa. *Non solum sanguine suo nos redemit, sed etiam lanis operuit, ut infidelitate algentes sua veste calefaceret, juxta illud: Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Bellarm. ipse lib. 2. de Justif. c. 11. resp. ad 2. *Potest sano modo accommodari similitudo indumenti iustitiæ imputata, si quis dicat, oportere, ut induamus Christi merita, & illis quodammodo rectè petamus indulgentiam peccatorum.* Huic expositioni nostræ tot evidentibus argumentis comprobata Pontificii quatuor potissimum opponunt. 1. *Scopum parabole,* qui in eo consistit, quod non sufficiat in Ecclesiam admissum nutriri pabulo doctrinæ cœlestis, & participem esse divinorum Sacramentorum, sed requiri insuper, ut gratiæ vocationis respondeamus, exutis veteris hominis sordidis vestimentis & caritatis innocentiaq; Christianis dignè veste assumta. Resp. extra controversiam est, hoc parabolæ membrum oppositum esse hypocritis, qui in externa Ecclesiæ societate locum habent, interim non agunt veram pœnitentiam, nec exuunt veterem hominem, sed in peccatis securè pergunt, ut sic in ipsorum corde nec vera contritio, nec vera fides, nec serium pietatis studium habeat locum, sed ex eo nondum sequitur, per vestem nuptialem non posse nec debere intelligi fidem in Christum, quin potius contrarium ex eo inferatur, videl. quod vel unice vel præcipuè fides in Christum per hanc vestem intelligi debeat, quippe quæ sola coram Deo nos justificat, quæque est pœnitentiæ anima & omnis boni operis fundamentum. Notandum verò, quod fides dupliciter accipiat. Primò pro nuda fidei jactantia & professione. Item pro Historica solum notitia, quæ etiam in hypocritis locum habet Jac. 2. v. 14. Secundo pro vera & salvifica fide, cujus potissima pars est fiducialis Christi apprehensio, ac firma in Christi meritum fiducia. Hæc fides est verè piorum & reatorum propria, qua *corda purificantur.* Act. 15. v. 9. qua *mundus,* ac proinde etiam ea, quæ sunt in mundo, videlicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ, vincitur.* 1. Joh. 5. vers. 4. c. 2. v. 16. qua Christus *in cor recipitur,* ut in eo habitet Eph. 3. v. 17. & *in nobis vivat* Galat. 2. v. 20. ubicunque verò est illa vera fides, ibi *exerit se per dilectionem* Gal. 5. vers. 6. ibi etiam *exuitur vetus homo* Eph. 4. vers. 24. & *abjiciuntur opera tenebrarum* Rom. 13. 12. &c. ac proinde vera illa & viva fides, de qua hic agimus, non habet locum in hypocritis. Notandum etiam illud, quod rectè quidem dica-

dica-

dicatur, hoc parabola membrum oppositum esse impœnitentibus & securis hypocritis, qui non faciunt fructus regni, ad quod vocati sunt, ut colligitur ex Matth. 21. vers. 43. *qui speciem habent pietatis, virtutem autem ejus abnegant.* 2. Tim. 3. v. 5. *qui verbis confitentur se nosse Deum, factis autem id ipsum negant.* Tit. 1. vers. 16. *qui non ambulant digne vocatione sua* Ephes. 4. vers. 1. interim tamen illud ipsum oppositum etiam est iis, qui confidunt in operibus suis, qui *justitiam suam coram Deo quarunt statuere* Rom. 10. v. 4. qui in vestimento propriæ justitiæ coram Deo gloriantur & superbiunt Luc. 18. vers. 8. *qui immitunt commissuram panni rudis in vestimentum vetus*, Matth. 9. v. 16. hoc est, qui opera sua articulo justificationis intrudere, eademque Christi merito assuere conantur, quod idem est, ac si quis regiæ vesti laceros & immundos panniculos assuere velit, *quia omnes nostræ justitiæ sunt coram Deo tanquam pannus mulieris menstruæ* Esa. 64. v. 6. utiq; ergo per vestem nuptialem præcipuè intelligenda est vera fides, qua Christi justitiam induimus, quæ unicè coram Dei judicio sublitit, quæque à vana propriorum meritorum fiducia nos liberat, ne propter eam etiam aliquando audire cogamur. *Amice; quomodo hic intrasti? 2. Descriptionem ejus, qui veste nuptiali destitutus introducitur.* Dicitur illè comparuisse in nuptiis, jam verò ad nuptias hæcæ spirituales, non nisi fide & usu Sacramentorum pervenitur. Ergo non fuit destitutus fide. Hoc argumentum tanti ponderis visum fuit Abrahamo Schultero, scriptori Calviniano, ut in observationibus suis in Matth. cap. 58. Pontificiis hic assurgeret, & fidei suæ socios desereret. *Multi (inquit) hic de fide declamant, sed non in loco. Nam Christus homini, qui in tenebras exteriores ejicitur, fidem tribuit, dum affirmat, illum æquè ac alios ad convivium cœlestis venisse, venire autem ad Christum & profiteri fidem in Christum, idem sunt.* Joh. 6. v. 35. Resp. Per fidem jam antè diximus intelligi, vel nudam fidei professionem & notitiam Historicam, vel fiducialem Christi apprehensionem. Ut ad nuptias veniamus & cœtui vocatorum nos jungamus, ad illud sufficit notitia Historica, assensus & fidei professio, sed ut in hisce nuptiis veste nuptiali induti compareamus, ad illud insuper requiritur fiducialem Christi apprehensio, quæ vera & viva corporis illius mystici, cujus caput est Christus, membra nos efficit, quæq; à nuda fidei professione longissimè distinguitur. Insigniter enim fallitur Schultetus, quando per fidem, quæ Joh. 6. v. 35. describitur per *to venire ad Christum*, nudam fidei professionem intelligit, cum prædicatum ibidem additum, quod videlicet veniens ad Christum & in ipsum credens *nec esuriem nec sitim sit passurus*, hoc minimè permittat. 3. *Caritatis & bonorum operum Naturam.* Caritas instar vestis tegit nostram nuditatem & operit multitudinem peccatorum Prov. 10. vers. 12. 1. Petri 4. v. 8. *estq; vestis nuptiis his digna, quia in hac venit Christus Ecclesiam in sponsam sibi copulaturus; ac vita pura est in modum vestis, virtutibus & bonis operibus contexta, qua hominem maximopere ornat.* Resp. Non negamus caritatem & vitæ sanctitatem certo modo ac respectu superius exposito simul per vestem nuptialem intelligi posse, sed negamus, quod Pontificiis asserunt, fidem in Christum non posse per hanc vestem intelligi, negamus et-

iam, quod vestis caritatis & vitæ sanctæ nuditatem nostram & turpitudinem peccatorum nostrorum coram Dei judicio tegat, cum hoc soli justitiæ Christi per fidem nobis imputatæ competat, cumque Salomon & ex eo Petrus non de peccatorum tectione coram Deo, sed coram hominibus loquantur, ut annexa antithesis manifestè ostendit. *Odiu excitat rixas, caritas autem tegit multitudinem peccatorum*, quæ scilicet proximus adversus nos commisit, ne veniant in conspectum nostrum, sed ut ea proximo benignè condonemus, nec illum propterea odio habeamus. 4. *Collationem cum locis parallelis.* Defectus vestis nuptialis in hac parabola, defectus olei & operum misericordie in parabola sequente. Matth. 25. vers. 3. & 42. idem significant, videlicet quod qui ad Ecclesiam per fidem veniunt, debeant vitam fide dignam agere: huc etiam accommodant omnia Scripturæ dicta, in quibus novum hominem induere jubemur. Sed quid de hoc argumento statuendum sit, ex superioribus facillè intelligi potest.

Quia ergo vestis nuptialis est vera in Christum fides, quæ per caritatem & studium bonorum operum sese exerit, ideo ab inani fidei ab omni pietate remotæ persuasionem nobis caveamus, nec judicemus sufficere, si cum aliis in externæ Ecclesiæ cœtui verbum audiamus, & Sacramentis iisdem utamur, sed noverimus, veram & vivam fidem, cujus anteambulo est contritio, pedifficæque verò bona opera, à convivis nuptialibus requiri. Hæc vestis à solo Deo nobis obtingit. Quamvis enim in parabola non dicatur expressè, quod Rex, qui nuptias paraverat, invitatis vestes nuptiales obtulerit, cum in terrenis nuptiis hoc rarò fieri consueverit, intelligitur tamen ex eo, quod pauperes in viis oberrantes invitaverit, qui non poterant sibi vestem regiis nuptiis dignam comparare. Proinde quod conviviarum aliquis, qui non indutus veste nuptiali conspicitur, intelligendum est eo modo, quod vel vestem nuptialem à Rege oblatam accipere recusaverit, vel eandem à se abjecerit, id quod rei significatæ pulchrè congruit. Deus in verbo Evangelii beneficia Messia omnibus offert, ut vera fide ea sibi applicent, & iis induti cœlestibus nuptiis digni habeantur, sed multi per impœnitentiam & incredulitatem oblata Christi beneficia repudiant, multi etiam, qui per baptismum & in Baptismo Christum induerunt, per peccata contra conscientiam fidem iterum amittunt, propter quod nuptiis hisce indigni redduntur. Sicut de sedula matre famulidicitur Prov. 31. 21. quod *domesticos suos vestiar duplicibus*: ita ex manu Regis & Patris cœlestis duplicia accipimus Esa. 40. 2. duplicem scil. vestem, sicut apud Judæos usitatum fuit duplici vestium genere sese induere; *interiorem*, per quam denotatur justitia Christi fide nobis imputata, quæ nos Deo gratos & acceptos reddit; ac *exteriorem*, per quam denotatur justitia bonæ conscientia, qua hominibus nos commendamus, & interiorem vestem, videl. veram fidem ei subesse demonstramus. Postquam hanc vestem justitiæ Christi à Deo accepimus in Baptismo & in verbo Evangelii, ac fide eam induimus, summopere studeamus eo modo illam gestare, ne contaminetur & polluat Apoc. 3. vers. 4. *habes pauca nomina, quæ non inquinaverunt vestimenta sua; multò verò minus eam* abji-

abjiciamus vel illius loco exuvias veteris hominis & sordidam peccatorum *tunicam odio habendam* Judæ vers. 23. induamus. Apoc. 16. vers. 15. *Beatus, qui vigilat ac custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Tum demum vestis illa conservatur & immaculata custoditur, si Diaboli suggestionibus & pravis carnis concupiscentiis totis viribus resistamus, nec dominium eis concedamus. Et quia eam sæpius in hac vita maculamur, cum via mundi sit lutosæ, & caro nostra infirma, ideo lixivio pœnitentiæ & fidei in Christum eam iterum emundemus, quia *sanguis Christi emundat nos ab omnibus peccatis* 1. Joh. 1. vers. 7. ac electi sic describuntur, quod *laverint stolas suas, & dealbaverint eas in sanguine Agni.* Apoc. 7. v. 14. *Qui hac ratione vestem justitiæ fidei in Baptismo & verbo Evangelii oblatam recipit, eandem puram conservat, vel maculatam statim eluit, in eo implebitur divinæ promissiones* 2. Cor. 5. 3. *superinduemur, si tamen vestiti non nudi inveniamur.* Apoc. 3. v. 5. *Qui viderit, vestietur vestimentis albis scilicet immortalitatis & gloriæ cœlestis* Apoc. 19. v. 7. *Gaudeamus & exultemus, quia venerunt nuptia Agni, & uxor ejus preparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido.* Apoc. 21. v. 2. *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Qui verò hanc vestem oblatam non receperit, vel acceptam iterum rejecerit ac non custodierit, idem aliquando experietur, quod de homine non induto veste nuptiali in hac parabola commemoratur. Dicitur *Rex ingressus, ut videret discumbentes, vidisse illic hominem non indutum veste nuptiali, id est, quendam cum cæteris quidem mensæ accumbentem, sed non cum cæteris nuptialiter ornatum.* Athanasius in quæstionibus q. 9. pag. 324. intelligit Judam, & qui ipsius exemplo in sancta ministeria sese indignè ingerunt, procul dubio ex eo, quod Christus Judam eodem modo compellet, quo Rex destitutum veste nuptiali hic alloquitur, quem vocat *εραπος* Matt. 26. v. 50. Sed scopus & conclusio parabola ostendit, per hunc unum omnes hypocritas intelligi, cum in genere Christus subjungat: *Multi enim vocati, pauci verò electi.* Hieronymus in caput 22. Matth. *Unus iste omnes, qui sociati sunt malitiis, intelliguntur.* Augustinus libro contra Donatist. post collationem capit. viges. *Dominus in eodem ipso uno, quem ex convivio projici jussit, multam societatem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores boni in convivio Dominico vivunt, significare non distulit. Postquam enim dixit, ligate illi manus, &c. continuò subjunxit: Multi enim vocati, pauci verò electi. Quomodo hoc verum est, cum potius unus è multis fuerit projectus in tenebras exteriores, nisi quia in illo uno grande corpus figurabatur omnium malorum, ante Domini judicium convivio Dominico permixtorum? Quod unus tantum non indutus veste nuptiali à Rege animadversus dicitur, cum multi sint in Ecclesia tales, id non tantum ratione parabola dictum accipiendum, quia si plerique dicerentur nuptiis ejecti, turbati viderentur gaudia nuptialia, sed etiam ad rem per parabolam significatam accommodari potest. Origenes talem profert rationem. Ideò singulariter dixit de uno tantum, quia unus generis sunt omnes, qui servant malitiam*

Harm. II. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

post fidem, quam habuerunt ante fidem. Simplicius respondetur, in hoc uno homine omnes hypocritas & impios præfigurari, quia omnes unum corpus constituunt, sunt cives unius regni, cujus Princeps est Diabolus Job. 41. vers. 23. August. ferm. 247. de temp. *Sicut Ecclesia una est per fidem sub capite Christo, ita tota multitudo reproborum, sive pateat, sive lateat, unum corpus est sub Principe Diabolo.* Ideò etiam unus ejectus dicitur, ut ostendatur, ne unum quidem in tanta multitudine Regis notitiam & intuitum latere potuisse. Voluit autem Christus hunc hominem non vestitum indumento nuptiali in hac parabola introducere, ut ostenderet, in Ecclesia militante bonis malos, sinceris hypocritas, piis impios usque ad diem novissimum fore permixtos: *boni enim soli nusquam nisi in cœlo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno: hæc autem vita, quæ inter cœlum & infernum sita, utrumque partium cives communiter recipit, ut loquitur Gregorius homil. 38. in Evangel. quam doctrinam non solum in parabolis Matth. 13. v. 24. & 47. sed etiam in hac ipsa parabola in congregatione bonorum & malorum jam antè propositam Christus denuò inculcat, ut ostendat, non solum in prima ad Ecclesiam vocatione, sed etiam in ipso Ecclesiæ cœtu externo commixtionem illam bonorum & malorum locum habere, atque ut pœna hypocritis in die novissimo expectandam ob oculos ipsis ponat. Voluit igitur & malis & bonis hujus doctrinæ iteratè inculcatione inservire. Malis quidem, ut maturè cogitent, non sufficere, si in externa Ecclesiæ societate tolerentur, cum reliquis Ecclesiæ civibus pacatè vivant, in gremio Ecclesiæ foveantur, ac primò quandoque accubitus in regniis hisce nuptiis obtineant, futurum enim, ut DEUS iustrationem & separationem instituat, quæ tam diligens & exacta est futura, ut ne unus quidem in tanta hominum multitudine vigilantissimos judicis oculos in die novissimo effugere possit; bonis verò ut adversus occultam hypocritarum malitiam patientiâ sese muniant, neque propter scandala, quæ ab ipsis proveniunt, Ecclesiæ unitatem scindant, vel congregationem suam deserant. Hebr. 10. vers. 24. *Quamvis enim in hac vita non statim sequatur illud, misit rex exercitum suum, perdidit homicidas & succendit civitatem ipsorum, non tamen cogitemus, verbi contemtores & Ecclesiæ persecutores à pœna semper immunes fore, sed in novissimo die ipsi nõ minus, imò magis, quàm hypocritæ, audire cogentur illud, quod in parabola sequitur: Mitte cum in tenebras exteriores.* In hac vita zizania simul crescunt cum tritico in agro Dominico, imò zizania quandoque conantur triticum penitus opprimere & extinguere, sed sequetur tempus messis, id est, consummatio seculi, in qua Filius hominis mittet messores, id est, Angelos suos, ut colligant è regno ejus omnia zizania, id est, omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 13. vers. 39. & seqq. Idipsum docet Christus etiam in sequenti parabola hujus membro, in quo describit illius, qui veste nuptiali carere deprehensus fuerat, tum redargutionem verbalem, tum punitionem realem. Dixit enim illi Rex: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit. Quod amicum illum**

LI

vocat,

vocat, cui tam graviter irascitur, id quidam fieri putant eo sensu, quod beneficiorum in ipsum prius collatorum eum hoc nomine admonere voluerit, sicut etiam Christus Judam proditorem suum vocat *εταίρον* Matth. 26. v. 50. ut pristinae conversationis & familiaritatis ipsū commoneat, Ps. 41. v. 10. Psal. 55. vers. 14. ac tacite ipsi exprobrat, quod ex amico, contubernali & discipulo factus sit proditor. Hieronym. in hunc loc. *Amicum vocat, quia amice eum invitaverat, culpa autem ejectionis penes ipsum erat.* Hoc ergo foret verbum non amoris, sed status. An non tantam tibi obtuli amicitiam, ut nihil tale promeritum ad regias Filii nuptias invitarem? nonne ex gratuito favore in convivio meo locum tibi dedi, ac donis & bonis meis te cumulavi? Eodem ferè sensu accipit Euthymius. *Amicum, inquit, vocat, utpote Christianum, quamvis indignè tali appellatione conversantem.* Quà ratione culpa hujus hominis exaggeraretur, quod pro beneficiis in se collatis tam malam Regi gratiam rependerit. Quidam putant in hac appellatione subesse quandam ironiam & *ἀντιφροσύναν*; cum aliàs hoc nomen in casu vocandi positum in familiari compellatione usurpare consueverit. (Matt. 20. v. 13. Ut enim apud Comicum illi dicitur, *salve bone vir*, cui gravis objurgatio parata erat, sic per ironicam compellationem amicum ac sodalem illum vocari statuunt, qui nihil minus erat, quàm amicus ac socius. Simplicissima interpretatio petitur ex propria hujus vocis significatione: *εταίρος* enim significat *socium & consortem*. LXX. utuntur pro *חבר* Cant. 1. v. 6. c. 8, 13. quo etiam Syrus hoc loco utitur, quod significat *conjunctum ac participem*, alibi enim vertunt per *μέταχρον, κοινοῦνον καὶ ἐχόμενον*. Utuntur etiam hac voce pro *חבר* 2. Sam. 13. v. 3. Prov. 22. v. 24. &c. qui simul cum aliquo pascitur, *convictor*, quæ significatio pulchrè huic loco congruit. Vocat enim illum *εταίρον*, quem mensæ suæ consortem fecerat, qui convictus & convivii communionem ipsi conjunctus erat. Judic. 14. vers. 11. *εταίροι* vocantur, qui in nuptiis Simoni sponso ut apparitores & focii lætitiæ erant additi: ita quoque hunc convivam nuptialem ad convivii & gaudii nuptialis confortium ascitum Rex vocat *εταίρον*, ex quo intelligitur, quod hæc objurgatio non ex odio quodam absoluto, nec ex inordinata bilis effervescencia, sed ex justitia, judicio & laudabili zelo fuerit profecta. Deus enim animo tranquillo & pacato judicat, non percitus immoderati furoris œstro, sicut homines facere consueverunt. Tacite etiam innuitur, culpam hujus rei, quod ex convivio nuptiali quidam ejiciuntur, non residere penes Deum, sed penes homines, ipse omnes etiam indignos ad nuptias Eilii sui, id est, ad Ecclesiæ consortium vocat, ex se erga omnes benevolè est affectus, sed homines ipsi sese inimicos faciunt & pœnas sibi accersunt. Quod porro additur, *quomodo huc intraſti?* id non est accipiendum eo sensu, quasi Rex quærat, quibus artibus in ædes regias irruperit, vel tacite accuset servos, quod hunc hominem malè vestitum ad nuptias introduxerint, ipse enim jusserat vocare ad nuptias *quoscunque invenerint*, sed ipsummet, quem compellat, accusat, quod regias nuptias indecente habitu dedecorare ausus fuerit, quod

vestem nuptialem vel oblatam recusaverit, vel acceptam iterum abjecerit. Quotquot enim ad regias hæc nuptias introducti fuerunt, illis decentem vestem Rex offerri curaverat ut ex Jud. 14. vers. duodecimo & ex circumstantiis parabola superius ostendimus, idemque in re per parabolam significata locum habere patet ex Ezechiele 16. vers. septimo, Galat. 3. vers. 26. & 27. Apoc. 3. vers. 18. Sensus igitur est: Quà fronte, quâ audaciâ nuptiali mensæ sine veste nuptiali accumbis? quâ confidentiâ in nuptias regias irrumpere & cum reliquis convivis assidere ausus es, cum non habeas vestem legibus nuptiarum requisitam? Non enim proprie interrogat, sed accusat; non quærit, sed arguit. Exprobrat illi, quod regias nuptias non exornaverit decente habitu, quodque veste sordidâ munditias nuptiales contaminare non fuerit veritus. Significatur autem Deum in extremo judicio gravissimè reprehensurum omnes illos hypocritas, qui non fuere veriti Ecclesiæ cœtui in hac vita sese associare, iisdem Sacramentis cum piis uti, adeoque veros Christianos se profiteri, cum tamen verâ & vivâ fide destituti fuerint, nec per caritatem & bona opera eam demonstraverint. Ut enim Marth. 25. vers. 42. Christus pramonet, se dicturum hypocritis in die judicii: *Esurivi & non dedistis mihi cibum, sitivi & non dedistis mihi potum*, id est, de fide quidem gloriati estis, sed opera caritatis proximo non exhibuistis ac proinde re ipsâ ostendistis, vos vera & viva fide destituti, *discedite ergo à me maledicti in ignem æternum*: ita quoque in hac parabola docet, quod in die novissimo omnibus, qui vestem justitiæ in Baptismo acceptam abjecerunt, & sordidam carnis tunicam iterum induerunt, dicturus sit: *Quomodo huc intraſtis non habentes vestem nuptialem?* quodque hujusmodi hyporita statim abjiciendi sunt in tenebras exteriores. Hæc Christi vox semper sonet in auribus nostris in hac vita, ne eam audire & vim ejus experiri cogamur in die novissimo. Proponamus quotidie cordi nostro hanc exprobrationem. Quomodo audes te Christianum vocare, cum non agas vitam Christiano dignam? quomodo audes gloriari te fidem habere, cum non proferas fructus fidei? quomodo te filium lucis vocas, cum in operibus tenebrarum ambules? quomodo audes te vocare Christi sponsam, cum sponsum non diligas nec adventū ejus desideres? quomodo sacræ ac mysticæ mensæ participes fieri audes, cum peccatorum sordibus eam dedecores? Hæc in quâ quotidie cogitemus, & in nos ipsos potius, quàm in alios intenti simus. Videmus enim, quod Rex non in jus vocat servos, quod hunc hominem ad nuptias introduxerint, nec reliquos convivas accusat, quod in confortio suo eum hæcenus tolerarint, sed sordidum illum hospitem rectè aggreditur. Neque enim metuendum est, ne aliorum hypocritarum nobis fraudi sit, sed nobis studiosè cavendum, ne ipsimet veste nuptiali destituamur. Revereamur oculos Regis cœlestis, cui occulta cordium sunt manifesta; revereamur societatem sanctorum nuptialibus vestimentis splendide exornatorum, quibus Ecclesiæ communionem sumus conjuncti; revereamur futurum judicium, in quo occulta cordium in publicam lucem produ-

producentur; revereamur miseram illius conditionem, qui hoc nomine accusatis, quod non haberet vestem nuptialem, in parabola dicitur obmutuisse. Ut nuptiali veste, ita quoque excusatione caruit, nec potuit ullam vel negligentiam suam in non acceptanda, vel malitiam in abijcenda nuptiali veste excusationem afferre, sed ἐπιμώθη obmutuit. Φιμώθης vel κημώθης proprie est vinculi genus, quo ferarum quarumque ora obligantur, ne mordeant. Item capistrum equorum vel boum, ne depascant segetem, inde Φιμώθης, capistrum injicio, Deut. 25. v. 4. 1. Cor. 9. v. 9. 1. Tim. 5. v. 18. Plinius lib. 18. cap. 19. vocat fissellis capistrum, ac metaphorice, os precludo, ad silentium adigo. Matth. 22. v. 34. de Christo dicitur, quod ἐπιμώθη, os obduraverit Saduceis, ac Petrus jubet 1. Epist. 2. v. 15. ut benefaciendo os ocludamus detestatoribus, id est, omnem calumniandi occasionem ipsis præscindamus. Inde passivum ἐπιμώθη significat, quod prorsus obmutuerit, ac si frenum vel capistrum quoddam ori fuisset injectum, sicut etiam Christus Marc. 1. v. 25. Luc. 4. v. 35. Diabolo in obfesso dicit Φιμώθη, ac mari præcipit Marc. 4. v. 39. πνεύμα σοφίας, præcludatur tibi os, velut cameo constrictum, καὶ ἀχρηστὸς, quasi os mare habeat; quod ibidem exponitur per σιωπᾶ, obmutescere. Sensus igitur est, quod hic conviva de carentia vestis nuptialis objurgatus prorsus obmutuerit, nec verbum potuerit proloqui ullum, quo vel se excusaret vel poenam sibi paratam deprecaretur. Syrus reddidit σιωπᾶ silentium fuit illi impostum, (quasi poena & vis aliunde ipsi illata innuatur) vel conticuit. Equid enim miser obverteret? 1. Non poterat amplius mentiri, se habere vestem nuptialem, quia Rex ipsius indigentiam & nuditatem in publicam omnium notitiam produxerat. 2. Non poterat dicere, se fuisse de hac veste consequenda sollicitum, non autem potuisse invenire; quia in terrenis nuptiis hoc locum forte haberet, sed in his celestibus nuptiis Rex celestibus omnibus hospitibus ejusmodi vestem gratis offert. 3. Non poterat dicere: Quare me per servos vocasti & introduxisti ad nuptias, cum nosse me ejusmodi veste destitui, quia sibi ipsi conficius erat, quod vestem nuptialem à Rege sibi oblatam assumere recusasset, vel semel assumptam abjecisset ac dilapidasset. 4. Non poterat veniam suam vel negligentiam vel malitiam petere, quia noverat tempus gratiæ & veniæ præterisse. Significatur autem hypocritas & peccatores in die judicii non habituros, quo se adversus damnationis sententiam defendere possint. Tunc enim in illa distributione ultima increpationis cessat omne argumentum excusationis, quando ille foris increpat, qui testis conscientiam intus animam accusat, ut loquitur Gregorius homil. 38. in Evangel. Non poterunt impii & hypocritæ in die judicii sua peccata amplius occultare vel negare, quia tunc judex illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1. Corinth. 4. v. 5. tunc aperientur libri conscientiarum, qui in hac vita adhuc sunt clausi, Apoc. 20. v. 12. Non poterunt obvertere, se de veste justitiæ fuisse sollicitos, invenire autem eam non potuisse, quia Deus in verbo & Sacramentis omnibus hanc vestem offert, ac quoque baptizantur illos Christo induit, Galat. 3. v. 27. Quibus Deus nuptias cælestes offert, illis vestem nuptialem non denegat, nec operum nostrorum precio eam emendam proponit, sed gratis eam nobis offert, Esa. 55. v. 2. proinde non poterunt ad paupertatis excusationem confugere; qui aliquando inveniuntur nuptiali veste carere. Non poterunt dicere: Quare nos vocasti ad Ecclesiam tuam, quos veste illa destitui, & malos esse noveras? Quamvis enim malos & bonos vocare jussit, tamen malos ideo ad Ecclesiæ consortium vocavit, non ut tales manerent, sed ut boni redderentur, assumpto nuptiali veræ, vivæ & per bona opera sese exerentis fidei vestimento. Non poterunt ad thronum misericordiæ provocare, quia conscientia ipsis dictabit, quod janua gratiæ & indulgentiæ tunc futura sit clausa, Matth. 25. v. 10. quod tempus hujus vitæ fuerit veniæ & misericordiæ, tempus autem judicii sit tempus iræ & justitiæ; quod tempus hujus vitæ sit tempus bonæ operationis, tempus autem judicii sit tempus retributionis. Proinde dum adhuc tempus habemus, loquamur, id est, confiteamur Domino peccata nostra, petamus eorum condonationem propter Christum, oremus ut digni habeamur fugere ista omnia, que ventura sunt, & stare ante Filium hominis, Luc. 22. v. 36. ne in die judicii obmutescere cogamur. Elere quidem tunc poterunt impii; sed sese excusare, vel objecta crimina negare, vel sententiam judicii mutare, vel poenas declinare non poterunt. Statim enim in parabola sequitur puni-tio realis. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus & manibus ejus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc tunc, cum hic conviva penitus obmutescens, culpam fateretur, ac tacitus seipsum condemnaret. Dixit, sive præcepit ministris, quia Hebræis dicere læpius significat præcipere, 1. Reg. 11. v. 18. 1. Paral. 20. v. 17. Esth. 1. v. 10. Jon. 2. v. 11. Matth. 4. v. 3. Marc. 5. v. 43. qui usus hujus verbi apud Arabes est frequentissimus. Potuisset Rex per seipsum immediatè hoc facere, sed quia regiæ Majestati & magnificentiæ id parum congruere videbatur, ideo in parabola introducitur illud præcipere servis, sicut etiam servorum operâ in vocandis convivis fuerat usus. Magistratus enim non comprehendit facinorosos, inque vincula eos conjicit immediatè, sed eam ad rem utitur operâ ministrorum, id quod etiam rei per parabolam significatè optimè congruit, ut paulò post apparebit. Servi, quibus hoc negotium à Rege committitur, vocantur δούλοι, illi verò, quorum operâ in convivis ad nuptias invitandis usus fuerat, vocantur δούλοι; quâ appellationis diversitate innuitur, ministros hos, quorum operâ in separandis convivis utitur, diversos fuisse ab illis, quorum ministerio in vocandis & invitandis convivis usus fuerat, id quod rei per parabolam significatè pulchrè congruit. Et quia hi servi vocantur δούλοι non ὑπηρέται, ut Matth. 5. v. 21. ex eo colligitur, quod hi ipsi convivis ministraverint, jussu regis sui hac in re secuti. Syrus itidem hos servos justitiæ & vindictæ administratos distinguit à servis gratiam nuntiantibus, & ad nuptias vocantibus, hos enim vocat עבד, illos verò משמש משמש à radice שמש servavit, ministravit, quod verbum in Chaldaica paraphrasi Gen. 40. v. 4. de aulicis ministris Pharaonis usurpatur, quæ significatio etiam hic locum habere potest. Per hos enim servos intelliguntur sancti Angeli, λειτουργοὶ illa πνεύματα, Hebr. 1. vers. 14. de quibus dicitur Dan. 7. vers. 10.

nit, sed gratis eam nobis offert, Esa. 55. v. 2. proinde non poterunt ad paupertatis excusationem confugere; qui aliquando inveniuntur nuptiali veste carere. Non poterunt dicere: Quare nos vocasti ad Ecclesiam tuam, quos veste illa destitui, & malos esse noveras? Quamvis enim malos & bonos vocare jussit, tamen malos ideo ad Ecclesiæ consortium vocavit, non ut tales manerent, sed ut boni redderentur, assumpto nuptiali veræ, vivæ & per bona opera sese exerentis fidei vestimento. Non poterunt ad thronum misericordiæ provocare, quia conscientia ipsis dictabit, quod janua gratiæ & indulgentiæ tunc futura sit clausa, Matth. 25. v. 10. quod tempus hujus vitæ fuerit veniæ & misericordiæ, tempus autem judicii sit tempus iræ & justitiæ; quod tempus hujus vitæ sit tempus bonæ operationis, tempus autem judicii sit tempus retributionis. Proinde dum adhuc tempus habemus, loquamur, id est, confiteamur Domino peccata nostra, petamus eorum condonationem propter Christum, oremus ut digni habeamur fugere ista omnia, que ventura sunt, & stare ante Filium hominis, Luc. 22. v. 36. ne in die judicii obmutescere cogamur. Elere quidem tunc poterunt impii; sed sese excusare, vel objecta crimina negare, vel sententiam judicii mutare, vel poenas declinare non poterunt. Statim enim in parabola sequitur puni-tio realis. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus & manibus ejus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc tunc, cum hic conviva penitus obmutescens, culpam fateretur, ac tacitus seipsum condemnaret. Dixit, sive præcepit ministris, quia Hebræis dicere læpius significat præcipere, 1. Reg. 11. v. 18. 1. Paral. 20. v. 17. Esth. 1. v. 10. Jon. 2. v. 11. Matth. 4. v. 3. Marc. 5. v. 43. qui usus hujus verbi apud Arabes est frequentissimus. Potuisset Rex per seipsum immediatè hoc facere, sed quia regiæ Majestati & magnificentiæ id parum congruere videbatur, ideo in parabola introducitur illud præcipere servis, sicut etiam servorum operâ in vocandis convivis fuerat usus. Magistratus enim non comprehendit facinorosos, inque vincula eos conjicit immediatè, sed eam ad rem utitur operâ ministrorum, id quod etiam rei per parabolam significatè optimè congruit, ut paulò post apparebit. Servi, quibus hoc negotium à Rege committitur, vocantur δούλοι, illi verò, quorum operâ in convivis ad nuptias invitandis usus fuerat, vocantur δούλοι; quâ appellationis diversitate innuitur, ministros hos, quorum operâ in separandis convivis utitur, diversos fuisse ab illis, quorum ministerio in vocandis & invitandis convivis usus fuerat, id quod rei per parabolam significatè pulchrè congruit. Et quia hi servi vocantur δούλοι non ὑπηρέται, ut Matth. 5. v. 21. ex eo colligitur, quod hi ipsi convivis ministraverint, jussu regis sui hac in re secuti. Syrus itidem hos servos justitiæ & vindictæ administratos distinguit à servis gratiam nuntiantibus, & ad nuptias vocantibus, hos enim vocat עבד, illos verò משמש משמש à radice שמש servavit, ministravit, quod verbum in Chaldaica paraphrasi Gen. 40. v. 4. de aulicis ministris Pharaonis usurpatur, quæ significatio etiam hic locum habere potest. Per hos enim servos intelliguntur sancti Angeli, λειτουργοὶ illa πνεύματα, Hebr. 1. vers. 14. de quibus dicitur Dan. 7. vers. 10.

Harm. Tom II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

L1 2

millia

millia millium ministrabant EI, (ubi in fontibus itidem habetur verb. *שׁוֹשׁוּ*) & decies centena millia assistebant EI, ac Psalm. 103. vers. 20. de illis dicitur, quod sint potentes virtute, facientes verbum DEI ad audiendam vocem sermonum ejus, vers. 21. exercitus DEI, ministri ejus facientes voluntatem ejus. Quidam per ministros in hac parabola intelligunt Angelos malos, quorum operâ in executione judiciorum suorum adversus impios Deus quandoque utitur, sed ex Matth. 12. v. 41. 49. & 50. colligitur, Angelos bonos hic potissimum intelligendos esse. *Mittet Filius hominis Angelos suos*, illos scilicet, quibus stipatus & comitatus ad judicium veniet, Matth. 25. vers. 31. & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium. Non enim impii tantum homines, sed etiam mali Angeli mittentur in stagnum ignis & sulphuris, Apoc. 20. vers. 10. quod per bonos Angelos executioni dabitur v. 3. qui ut Christo judici præstiterunt in honorifica deductione, in judicandorum congregatione, & congregatorum separatione, ita quoque suum ipsi ministerium exhibebunt in piorum ad cælum subvectione, & impiorum à Christo damnatorum ad infernum detractione, ut in tractatu de Extremo Judicio §. 40. fuit demonstratum. In hac vita Angeli convivis nuptialibus, hoc est, civibus Ecclesiæ militantis inserviunt, ac mensæ ministrant, ut Chrylost. homil. 61. ad Antioch. loquitur; post hanc vitam in die judicii inter convivias separationem facient, Matth. 13. v. 49. *ὁ πρῆσβυτέρως* scilicet, & malos è medio justorum separatos ex loco convivii depellent. Describuntur autem quatuor poenarum genera hypocritarum & impiorum in die judicii irroganda. 1. *Manuum ac pedum constrictio: ligabuntur ipsorum manus ac pedes.* Hoc non tantum pertinet ad connexionem & decorum parabola, quia quos Magistratus jubet in carcerem conjicere, vel ultimo supplicio afficere, illorum manus ac pedes prius mandat ligari, Gen. 42. v. 19. Dan. 3. v. 20. Act. 26. v. 29. &c. sed etiam ad rem per parabolam significatam. Hisce enim manuum ac pedum vinculis denotatur primò, quod impii & hypocritæ non poterunt resistere executioni sententiæ damnatoriæ adversus ipsos prolata, ac si manibus pedibusque essent constricti. Secundò quod non poterunt ex infernalibus poenis iterum eluctari. *Pedibus constringentur*, inquit Simon de Cassia in hunc locum, *ne possint effugere, & manibus ligabuntur, ne valeant compedes à manibus removere, ut omnè ex parte deficiat evadendi copia.* Quemadmodum is, qui manibus ac pedibus ferro constrictis in carcere conclusus detinetur, non potest ex eo effugere: sic per hæc manuum & pedum vincula significatur, impios in inferno tam arctè custodiendos, & tantâ violentiâ detinendos, ut non possint ulla ratione ex illis iterum evadere. Describitur igitur inevitabilis impiorum poena absque omni facultate defensionis, & spe liberationis. Tertiò, quod omnis operandi potestas ipsis sit auferenda. Per *manus* enim significantur vires animæ operativæ, per *pedes* affectivæ, quarum neutris tunc amplius uti poterunt, ideoque erunt quasi manibus & pedibus constricti. In hac vita manus adhuc habuerunt solutas, ut potuissent bene operari, si voluissent; pe-

des habuerunt adhuc liberos, ut potuissent, si voluissent, poenas inferni effugere. Sed tunc nec bonum facere, nec malum effugere amplius poterunt. Quartò, pertinet hoc ad descriptionem justissimæ poenæ impiis propter peccata irrogandæ. In hac vita per manus ac pedes varia peccata perpetrarunt, non *absciderunt manus ac pedes scandalizantes*, Matth. 18. v. 8. hoc est, securè frena laxarunt carnalibus suis concupiscentiis, easque manibus & pedibus compleverunt, meritò igitur in manibus ac pedibus puniuntur, unusquisque enim recipit in corpore suo poenam eorum, quæ per corpus gessit, 2. Cor. 5. v. 10. In hac vita noluerunt verbi vinculis ligari. Dixerunt: *dirumpamus vincula ipsorum, & projiciamus à nobis funes ipsorum*, Psalm. 2. v. 3. noluerunt admittere vincula disciplinae & correptionis, sed ad malum soluti ac liberi esse voluerunt, inde alia jam coguntur sustinere vincula. In hac vita *traxerunt iniquitatem in funibus mendacii, & veluti funibus plaustrum peccatorum*, Esaia 5. vers. 18. colligaverunt se ac conspirarunt in vicem ad flagitia perpetranda, justo igitur Dei judicio manus ac pedes ipsorum colligantur. Gregorius homil. 38. in Evang. *Tunc ligantur manus & pedes per distributionem sententiæ, qui modò à pravis operibus ligari noluerunt per emendationem vitæ, vel certè tunc ligabitur poena, quos modò à bonis operibus ligat culpa.* Pedes enim, qui *visitare agrum negligunt; manus, quæ nihil indigentibus tribuunt, à bono opere jam ex voluntate ligatae sunt.* Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc inviti ligantur supplicio. Denique Hieronymus observat, *manuum ac pedum mentionem fieri, quando de aternis damnatorum cruciatibus agitur, ut ostendatur, impios in iisdem corporibus, quæ in hac vita habuerunt resuscitandos, & in infernum abjiciendos esse.* Confer tract. de Inferno §. 45. ubi ostendimus damnatis vincula tribui ad denotandam eorum captivitatem, ad exprimendam tormentorum aternitatem, ad insinuandam dolorum acerbitatem, ad significandam operandi *ἀδυναμίαν*, & ad describendam damnatorum societatem.

2. *Ex convivio nuptiali expulsio.* *ἀρῆσθε αὐτὸν καὶ ἐκβάλετε.* Syrus interpres ac vulgata Latina versio non expresserunt illud *ἀρῆσθε*, sed in probatissimis Codicibus Græcis additur; atque ita legit etiam Theophylactus: *rollite eum, auferite eum* è conspectu meo, *ejicite* scil. foras ex convivio nuptiali, *καὶ ἀρῆσθε* duplicem significationem habet, quarum utraque huic loco congruit. Significat enim *manibus tollere*, Matth. 4. v. 6. Marc. 2. v. 3. Luc. 4. v. 11. &c. deinde etiam *amovere, auferre*, Matth. 13. v. 12. cap. 21. v. 43. cap. 25. vers. 28. Joh. 2. v. 16. &c. jubet ergo Rex, ut convivam hunc non vestitum nuptialiter ministri comprehendant, *quasi sic ihu sellen attassent* / & ex reliquorum consortio expellant, unde statim additur *ἐκβάλετε αὐτὸν*, quod Syrus reddidit *ἔρασαν* *educite eum, cogite eum exire*, quâ voce in ejectione vendentium è templo utitur, Johan. 2. v. 15. quæ facta est flagello ex funiculis parato. Significatur autem, quod hypocritæ & impii in die novissimo non verbis tantum sint redarguendi, quod cœtui Sanctorum in hac vita sese immiscere ausi fuerint, sed etiam ex consortio Ecclesiæ & ex regno cœlorum exturbandi, quod accommodat glossa interlinearis, Matt. 25. illud Propheticum: *Tollentur impii,*

impus, ne videat Gloriam Dei. Quinimò Matth. 25. v. 34. & 46. processus iudicii sic describitur, quod primò quidem sententia absolutoria denuncianda sit piis, condemnatoria impiis, sed executio sententia sit inchoanda à damnatione impiorum, & terminanda in glorificatione piorum, ac Matth. 13. v. 30. *Zizania* primùm dicuntur colligenda, & in *caminum ignis mittenda*, postmodum verò *triticum in horreum* coeleste dicitur congregandum: ex quo intelligitur, quod impiorum à piis separatio, & in ignem infernalem abjectio præcessura sit piorum glorificationem, & in vitam æternam introductionem. In hac vita *ovcs & hædi* in grege Dominico sunt conjuncti, hoc est, boni & mali in convivio nuptiali sunt permixti, Matth. 25. v. 32. sed in die novissimo sequetur separatio, quæ soli Regi sive futuro iudici, Christo scilicet & Patri coelesti per ipsum iudicatum competit. Tunc enim Christus habebit *ventilabrum in manu sua, quo purget aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni extinguibili*, Matth. 3. v. 12. tunc dicit *messoribus*, hoc est, Angelis, *colligite de regno meo omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittite eos in caminum ignis*, Matth. 13. v. 41. & 42. Quanta verò hac futura sit pena, quod hypocrite & impii in die novissimo sint ex convivio nuptiali removendi, non potest melius intelligi, quam si expendatur, quantis bonis tunc sint privandi, nam & hic locum habet illud, privatio non intelligitur, nisi ex suo habitu. Per hanc enim expulsionem & ejectionem separabuntur 1. à Deo & Filio eius Jesu Christo, adeoque à totius Sacrosanctæ Trinitatis beatissimo conspectu, quæ separatio per aversionem Divinæ faciei, carentiam Divinæ visionis, abjectionem à Dei conspectu, elongationem à beatifica Dei visione, &c. describi solet, Matth. 25. v. 41. 2. Theff. 1. 9. 2. à sanctis Angelis, qui coram Dei throno astant, Dan. 7. v. 10. & paternam ejus faciem semper intuentur, Matth. 18. v. 10. 3. ab omnibus electis & beatis hominibus in cælo, Matth. 8. v. 12. cap. 24. v. 40. Luc. 16. v. 23. 4. à Paradiso cælesti, Luc. 16. v. 26. Apoc. 21. v. 27. cap. 22. v. 15. 5. à luce, gaudio, quiete & felicitate, Job. 10. v. 21. cap. 20. v. 26. Matth. 8. v. 12. 2. Petr. 2. v. 17. 6. à præconio laudis Divinæ, Psalm. 115. v. 17. Esa. 38. v. 18. Apoc. 16. v. 11. 7. à consortio commiserationis humane, Psalm. 52. v. 8. Psalm. 58. v. 11. Esa. 66. v. 24. Luc. 16. v. 24. Apoc. 14. v. 10. quæ omnia latius exposuimus in tract. de Inferno §. 42. & seqq.

Tertium pena genus erit in tenebris exteriores ejectione. Per τὸ σκοτὸν τὸ ἐξωτερικόν quidam intelligunt extimas tenebras, quia Græci comparativum pro superlativo solent adhibere, 1. Cor. 13. v. 13. Sunt autem extimæ sive profundissimæ tenebræ, quæ luci in loco convivii vel maximè sunt oppositæ, quæ à regni luce distant quàm longissimè, ut significetur in regno cælorum esse lumen, à quo quò longius aliquis abest, eò magis in tenebris versatur. Origenes tract. 33. in Matth. putat per hæc tenebras intelligi *abyssum quandam tenebricosam foris extra mundum, in quam damnati sint conficiendi*. Sed quid de τὸ πρὸς τὸν ἄδου inferni statuendum sit, suo loco explicatum fuit. Quidam δὲ τὸ σκοτὸν τὸ ἐξωτερικόν explicant eis τὸν σκοτεινὸν τόπον τῆς ἑξῆς, in tenebricosum carcerem extra convivii domum, quia carceres extra arcem

Harm Tom. II, vel Gerbard. Contin. pars prim.

regiam in tenebricoso & subterraneo quodam loco solent extrui. Quidam exteriores tenebras putant opponi tenebris interioribus, quibus impii & hypocritæ in hac vita fuere delectati. Gregor. lib. 25. moral. cap. 11. *Tunc coactus in tenebras exteriores mittitur, qui nunc in interioribus excecatur voluntarie*. Simon de Cassia in h. l. *Exteriores tenebræ sunt involuntaria pena, interiores sicut voluntaria culpe*. Augustin. Epist. 120. cap. 12. *Distinguit inter exteræ, & exteriores tenebras. Sicut modò, inquit, in exteris tenebris, unde correctio desperanda non est, quam si contempserint, ibunt in exteriores tenebras, ubi correctionis locus non erit*. Cap. 23. *Possunt etiam tenebræ exteriores intelligi penæ corporales. Corpus quippe est anima exterior, ut sint anime malæ, quibus à claritatis luce aversa mens in peccatis oblectatur, extere tenebræ; corporis autem malæ, quibus æternis in finem extorquetur, exteriores tenebræ*. Hæ significationes omnes optimâ ratione conjungi possunt. Quicquid enim in Scripturis tenebrarum nomine denotatur, illud omne inferno & statui damnatorum attribuitur. Per tenebras intelligitur 1. privatio lucis naturalis, Genes. 1. v. 2. Deut. 28. v. 29. jam verò erit locus tenebrarum, obscuritatis & caliginis, Job. 10. v. 21. & 22. cap. 20. v. 26. cap. 38. v. 19. 2. Petr. 2. v. 17. Judæ v. 13. Quemadmodum claritas Dei illuminabit cælestem civitatem, ut nullus ad eam tenebris pateat aditus, utque ob hanc divinam lucem non indigeat luce naturali Solis & Lunæ, Apoc. 21. v. 23. cap. 22. v. 5. sic Diabolus Princeps tenebrarum, Ephes. 6. v. 12. infernum, qui est regnum tenebrarum, tantâ obfuscat caligine, ut luci naturali nulla pateat rima. 2. Privatio Divinæ gratiæ. Dei favor & gratia confertur luci, Num. 6. v. 25. Psalm. 43. v. 3. &c. ergo tenebræ significant Dei iram. Jam verò damnati ab omni favore & gratia Dei erunt separati, dabunt penas à facie ejus, hoc est, ab ira & furore ipsius, 2. Theff. 1. v. 9. &c. 3. Cæcitas mentis, ignorantia Dei, caligo spiritualis, Esa. 9. v. 2. cap. 42. v. 2. Luc. 1. v. 79. &c. jam verò damnati versabuntur in extrema DEI & rerum Divinarum ignorantia, destituentur luce Divinæ cognitionis, habebunt eor excecatum, erunt meræ tenebræ, Ephes. 5. vers. 8. proinde etiam extimæ & profundissimæ tenebræ in summo gradu ipsis competent. Hieronymus in cap. 8. Matthæi: *Tenebræ semper interiores sunt, non exteriores. Sed quoniam qui à Domino foras expellitur, lumen relinquit, ideo tenebræ exteriores nominate sunt*. Quemadmodum beatitudo Electorum essentialiter & principaliter in visione Dei, hoc est, in perfecta ejus cognitione consistet, 1. Cor. 13. v. 12. 2. Corinth. 5. v. 7. 2. Johan. 3. v. 2. Apocal. 22. v. 4. sic vice versâ damnatorum infelicitas in carentia Divinæ visionis, quæ profundissimam cæcitatem & ignorantiam complectitur, consistet. 4. Pervertitas voluntatis, projecta impietas, unde peccata dicuntur *opera tenebrarum*, Johan. 3. v. 19. cap. 12. v. 35. Rom. 13. v. 12. Ephes. 5. v. 11. 1. Theff. 5. v. 6. hæc tenebræ itidem locum habent in damnatis, quia in illis non est sanata pervertitas voluntatis, in qua & cum qua mortui fuerunt, nec mundati sunt ab iniquitate, cujus macula illis perpetuò adhæret. 5. Tristitia, angor & morsus conscientiæ, Job. 17. v. 12. cap. 30. v. 26. sicut contra gaudium,

dium, læticia & tranquillitas conscientia vocatur lux, Esth. 8. v. 16. Job. 29. v. 34. Pf. 97. v. 11. &c. jam verò damnati perpetuos conscientia angores & dolores sentient, proinde etiam ab hoc tenebrarum genere non erunt immunes. 6. Omnis generis calamitates, afflictiones & miseria, 2. Sam. 22. v. 26. Psal. 18. v. 29. Esa. 5. v. 30. Mich. 7. v. 8. &c. sicut contra lux prosperitatem & felicem rerum statum notat Job. 18. v. 5. cap. 30. v. 26. El. 45. v. 7. &c. jam verò infernus est sentina omnium miserationum & afflictionum, utique ergo etiam domus tenebrarum. 7. Regnum Diaboli, quod in hoc mundo per peccatum in filios incredulitatis obtinet, Luc. 22. v. 43. Eph. 6. v. 12. Coloss. 1. v. 13. Jam verò Diabolus in damnatos plenum & absolutum habebit dominium, utique ergo extrema caligo illis merito tribuitur. 8. Contemptus & ignominia, Psal. 107. v. 10. Apoc. 16. v. 10. sicut contra honor & gloria luci confertur. Jam verò damnati in æternis hærebunt opprobriis, Esa. 66. vers. 24. Dan. 12. v. 2. hæc omnia divina brevitate Christus complectitur, quando dicit, hypocritas & impios in tenebras exteriores esse projiciendos. In hac vita delectati fuere tenebris ignorantia, errorum & peccatorum, ideo ab his tenebris transibunt ad æternas tenebras, à tenebris voluntariis ad ejusmodi tenebras, quas inviti ferre cogentur.

Quartum poena genus erit *fletus & stridor dentium irrogatio*. In præcedentibus duobus membris exposita fuere mala *σπέρμα*, quod damnati, per hunc convivam denotati, ex consortio sanctorum & à communione lucis sint excludendi, hoc membrum exponit mala *σείμα*, quod ob magnitudinem tormentorum fletum & stridorem dentium sint edituri. In præcedenti membro primo expositum fuit corporis tormentum, quod manibus & pedibus sint constringendi, in hoc membro significatur, cum tormentis corporis animi quoque dolores continuos & irremissos conjunctos fore. In prioribus membris delineata fuit damnatorum poena, in hoc describitur ejus consequens & effectum, quod videlicet præ magnitudine illius poenæ continuas lachrymas sint emissuri, Judith. 16. vers. 20. Jac. 5. v. 1. ac dentium stridore angustias cordium suorum testificaturi. Hæc duo, videlicet *fletum & stridorem dentium* Christus semper conjungit, quoties infernalium tormentorum mentionem facit, ut hand immerito quis suspicetur, duabus hisce appellationibus totam & universam infernalium miserationum congeriem *ἐπιτομικὸς* comprehendendi, Matth. 8. v. 12. cap. 13. v. 42. & 50. cap. 24. v. 51. cap. 25. v. 30. Luc. 13. v. 28. In applicatione speciali occurrit quædam diversitas, quæ tamen principali scopo, videlicet descriptioni status damnatorum, in inferno facile accommodari potest. Cyprian. ad Demetr. *Erit tunc sine fructu poenitentia dolor poenæ, inanis ploratio, & inefficax deprecatio*. Serm. de Ascens. Christi: *Continuus erit & superfluus illarum lachrymarum decursus, stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles habitabunt*. Hieron. in c. 22. Matth. *in fletu oculorum, & stridore dentium per metaphoram membrorum corporatum magnitudo ostenditur tormentorum*. August. de trip. habitac. cap. 2. *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis. Fletus namque & liquefactio oculorum ex calore nascitur, stridor verò dentium ex frigore, de quibus duobus innu-*

mera pendunt poenarum genera, videlicet sitis intolerabilis, poena famis, poena siccitatis, poena horrois, poena timoris, poena angustia, poena tenebrarum, severitas tormentorum, præsentia Dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientia, ignita lachryma, suspiria, miseria, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, poena sine fine, absentia Christi quoad visionem ejus, quæ sola omnia supradicta superat, & omnibus poenis intolerabilior est. Prosper lib. 3. de vit. contempl. cap. 12. *Fletus & stridor dentium acerrimos damnatorum dolores ostendunt, qui supplicio æternæ mortis addicti, non videndi sensum habituri sunt, sed dolendi.* Beda in cap. 8. Matth. *Duplex hic ostenditur gehenna, hoc est, nimii frigoris per stridorem dentium, & intolerabilis fervoris per fletum oculorum.* Bernh. Serm. 8. in Psal. *Qui habitat. Fletus ibi erit ob ignem, qui non extinguitur. Stridor verò ob vermem, qui non moritur.* Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. *Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidia, & obstinata malignitas extorquebit.* Simon de Cassia in h. l. *Fletus pro vano mundi gaudio, stridor dentium pro vario corporis cultu. Fletus refertur ad calorem nimium, stridor dentium ad frigus nimium. Fletus torquet pro ommissis, stridor dentium cruciat pro commissis. Pro bonis terrenis perditis fletus æternus erit, pro inflatis æternis inevitabiliter poenis dentium erit stridor continuus.* Plura hujusmodi apud veteres passim occurrunt. Quidam existimant, in exprimenda hæc & præcedente poena Christum ab exemplo parabola declinare ad rem per parabolam significandam, cum nec tenebræ exteriores, nec fletus & stridor dentium parabola convenire videatur. Sed nihil quicquam obstat, quò minus etiam hæc ad ipsam parabolam connexionem referamus, qui enim ex convivii loco in tenebricosum & squalidum carcerem conjiceretur, de eo merito dici posset, quod in tenebras exteriores expellatur, ac fletum propter carentiam bonorum amissorum, stridorem dentium propter subterranei carceris frigus edere cogatur. Interim certum est, principaliter hæc à Christo fuisse addita ad præfigurandam damnatorum miseriam. In illis erit *fletus*, 1. ob intensissimum corporis & animæ dolorem ex continuis cruciatibus ortum. 2. Ob defectum omnis consolationis, erit ibi talis fletus, talis dolor, qui nullam recipiet consolationem, ne quis fortè cogitet, tenebras illas fore ipsis gratas, sicut in hac vita magis amarum tenebras quàm lucem, Joh. 3. v. 19. ac ad tenebrarum opera, sive peccata perpetranda, studiosè quæverunt tenebras, Sirac. 23. v. 26. 3. Propter fumum ignis infernalis, qui oculos damnatorum miserimè torquebit, Apoc. 14. v. 11. cap. 19. v. 3. 4. Ob cogitationem æternitatis supplicii, summus enim damnatorum dolor & angor oriatur ex eo, quod sciant nullā omnino liberationis vel mitigationis spem superesse, quam poenarum sibi paratarum æternitatem continuis fletibus deplorabunt. 5. Ob perpetuum planctum & ejulatum, El. 65. v. 14. Jac. 5. v. 1. Apoc. 1. v. 7. *Quamvis enim aliqui dubitent, an post resurrectionem fletus lachrymarum propriè sic dictarum illic sit futurus, Thom. in addit. q. 97. art. 3. certum tamen est, planctum, clamorem & ejulatum, hoc est, fletum vocum, & omnia quæ fletui sunt conjuncta, videlicet animi angorem, cor-*

dis perturbationem, tristitiam & omnium membrorum dolorem illic in summo gradu futura. Erit etiam in damnatis *stridor dentium* 1. ob frigus intolerabile. Hesychius inquit: *βρυγμός δόντων* & *βρυγμός*, ὁ ἐστὶ τὰς ὀδόντας πιεζόντα ψόφον ἀποτελεῖν, ὡς ἐν τῇ συμπαίῃ, ἢ τριμῶς ὀδόντων, dentes premendo strepitū efficiunt, quod fit in vehemēti frigore. Quamvis verò quidam negent verum *frigus* in inferno esse, Abulensis quæst. 558. in Matth. Dominic. à Soto 4. sent. dist. 50. q. unic. art. 4. multi tamen veterū illud affirmant. Hieronym. in c. 10. Matth. August. vel quicumq; alius autor lib. de tripl. habitac. c. 2. Beda in c. 8. Matth. ac sufficit nobis, quod Scriptura per *calorem ignis infernalis* & ei oppositum *frigus* ineffabiles inferni cruciatus per quandam ad nos *συγκαταβάσει* describat. 2. Ob summum horrorem, quem ex sensu cruciatus præsentis & cogitatione futurorum malorum, ex aspectu Dæmonum & aliorum damnatorum hominum societate percipiunt. 3. Ob pœnæ intolerabilitatem. Quando Natura nondum victa integris adhuc sensibus patitur, conatur dentium strepitu lenire doloris sensum. Significatur igitur per hunc stridorem dentium damnatis attributum, quod pœnis atrocissimis ita sint afficiendi, ut integris semper sensibus easdem patiantur. Morientur continuè in pœnis & ad novas pœnas continuè vivent. 4. Ob invidiam & livorem, qui per dentium stridorem exprimitur. P. 37. v. 16. P. 37. v. 12. contabescunt invidiâ, quando pios, quos in hac vita affixerunt, æternæ gloriæ participes factos esse cogitant. 5. Ob impatientiam, quæ non solum ex magnitudine cruciatuum, sed etiam ex cogitatione æternitatis & frustraneæ pœnitentiæ orietur, unde Theophil. in cap. 8. Matth. hunc stridorem dentium de frustraneâ damnatorum pœnitentia accipit. Erit ergo ibi *stetus* ex dolore, *stridor dentium* ex livore; *stetus* ex sensu mali proprii, *stridor dentium* ex cogitatione boni alieni; *stetus* ex ardore, *stridor dentium* ex horrore; *stetus* ex defectu consolationis, *stridor dentium* ex defectu quietis & respirationis, &c. *Hæc mala qui pavet, cavet; qui negligit, incidit*; ait Bernh. serm. de convers. ad Cleric. cap. 5. *Idcirco priusquam hæc fierent, mandata sunt literis, ut earum minis perterriti nostros compesteremus effectus, neque hanc ignominiam ad supplicium re ipsâ, sed verbotenus experiri sineremus*, inquit Chrysostomus homil. 9. in Johan. In hac vita manus adhuc nobis sunt liberae ac soluta, ut possimus illis operari, quod bonum est Ephes. 4. vers. 28. ut possimus eas elevare in precibus & extendere ad beneficentiam egenis præstandam, pedes adhuc nobis liberi sunt, ut possimus officinam Spiritus Sancti adire, in via mandatorum divinorum, quæ est *via pacis*, ambulare Luc. 1. vers. 79. ac pœnas æternas effugere; sed qui in hac vita manuum ac pedum ministerio ad bonum uti noluerunt, illi tunc in die novissimo *manibus & pedibus ligabuntur*. In hac vita fulget nobis adhuc lux verbi cœlestis & gratiæ divina, cujus ductu ad lucem vitæ & gaudii pervenire possumus, sed qui ductum lucis sequi noluerunt, atque oculos suos ad cognoscendam veritatem aperire renuerunt, illi tunc in æternas detrudentur tenebras. In hac vita salutariter adhuc legere & flere possumus, in vera scilicet pœnitentia, sed qui in hac vita pro-

Harmon. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars prim.

pter peccata sua flere noluerit, inutiliter in iudicio flebit. Sed de hoc practico doctrinæ de pœnis infernalibus usu tum in genere tum in specie egimus sub finem tract. de Inferno §. 88. & seqq. hoc loco illud duntaxat monemus: Si tantus pœnarum cummulus, tanta miseria manet hypocritas, fide verâ & vivâ, per charitatem & studium bonorum operum efficaci, destitutos, quanto gravius iudicium metuendum erit illis, qui in sordida & lutulenta veste conspiciuntur, qui maculatam *carnis tunicam* amarunt Jud. v. 23. hoc est, omnis generis peccatis securè indulserunt? Si talis pœna irrogata est ei, qui mensæ Domini in hoc convivio quietus assedit, nec ullam reliquis convivis molestiam exhibuit, tantum propterea, quod veste nuptiali destitutus fuerit, quid metuendum erit illis, qui persecutionibus Ecclesiam oppugnant, qui hæreses in ea excitant, qui scandalis infirmos turbant? Si *stetus & stridor dentium* hypocritas manet, quanto magis eos, qui flagitiis suis pessimis, verbi ministris, vel aliis à se oppressis lachrymas expresserunt, qui fratribus detrahentes, famam eorū suis quasi dentibus lacerarunt. Origen. homil. 20. in Matth. *Stridebunt dentes, qui quoniam acerba manducaverant malitiâ stupidi erant effecti*. Gregorius homil. 38. in Evang. *Illic stridebunt dentes, qui hic edacitate gaudebant, illic oculi stebunt, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur in mundo, quatenus singula quæque membra supplicio subiacebant, quæ hic singulis quibusque vitis subiecta servierunt*.

II. Hactenus egimus de priore hujus pericopes parte, videlicet de ipsa parabola, restat, ut posteriorem ejus partem, videlicet epiphonemam sive epiphonema parabolæ à Christo subjectum videamus. Ut enim alias Christo usitatum fuit, parabolis à se propositis explicationem subijcere Marc. 4. 34. interdum quidem prolixiore per singula parabolæ membra deductam Matth. 13. 19. & 37. quandoq; verò breviorē, unicâ duntaxat sententia, proœmii vel conclusionis loco additâ, scopi & usi parabolæ monstrantem, quam proinde illius *clavem* haud absurdè dixeris Matth. 19. v. 30. cap. 20. v. 16. cap. 21. v. 31. &c. ita quoq; hoc loco subjecto brevi epiphonemate: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, scopum & usum totius parabolæ mirandâ brevitate complectitur. Idem epiphonema subijcit parabolæ *de vocatis in vineam* Matth. 20. vers. 16. quæ in multis cum hac nostra parabola convenit. Ut enim ibi paterfamilias distinctis vicibus vocat operarios in vineam, ita hic Rex distinctis vicibus mittit servos suos, per quos ad nuptias Filii sui homines vocat. Ut regnum cœlorum sive Ecclesia illic vineæ confertur; ita hic regis nuptiis. Ut ibi inter operarios inveniuntur murmurantes, ita hic inter convivas inveniuntur veste nuptiali carentes. Ut illius parabolæ scopus est demonstrare, quod paterfamilias non sit tribuenda illius rei culpa, quod ex primis sunt novissimi, ita hujus parabolæ scopus est ostendere, Regi cœlesti non esse imputandum, quod ex convivio nuptiali quidam ejiciuntur. Sicut illic tacitè monemur, ut in vineam quidem abeamus, hoc est, Ecclesiæ consortio nos adjungamus, strenuè in vinea laboremus, *diei pondus & æstum*, hoc est, crucem patienter feramus, non tamen nostro labori ac

nostris meritis confidamus, ita hic admonemur, ut in nuptiis nos sistamus, ne simus ex eorum numero, qui invitati venire noluerunt, nec curis & amore huius seculi nos impediri patiamur, multo minus adversus servos, per quos vocamur, insurgamus, interim tamen cavendum nobis esse ab hypocrisis & fastu, utrique enim vestis nuptialis veræ in Christi fidei opponitur, ut superius monuimus. Sed expendamus hoc epiphonema, verbis quidem breve, sed rerum pondere longè maximū. *Multi enim, inquit, sunt vocati, pauci vero electi.* Quidam statuunt, nihil hic de electione hominū ad salutem vel reprobatione eorum ad damnationem agi, sed illud tantum significari, quod ex multis vocatis pauci sint electi, hoc est, Deo grati & accepti, probati & laude digni, sicut Apostolus 1. Cor. 10. v. 5. de Judæis per desertum ductis dicit, *in pluribus eorum Deus non habuit beneplacitum*, ac 1. Tim. 5. v. 21. Angelos vocat *electos*, hoc est, dilectos, præstantes & eximios Ezech. 23. v. 6. Sed quia *vocationis* nomen disertè additur, quod eodem sensu hic accipitur, quo in articulo de electione usurpatur, & quia res ipsa ostendit, totum negotium electionis in hac parabola simplicissimè & clarissimè exponi, ideo electionis vox omnino eodem modo hic accipienda, quo in articulo de electione ad salutem aternam accipi consuevit. Ac si vel maximè electos hic accipere velimus pro dilectis & Deo gratis, includitur tamen huic electioni ipsa ad salutem electio: Deus enim neminem eo sensu ac gradu diligit, ut salutis aternæ actu ipsum participem reddat, quem non ab aeterno ad salutem elegerit. Quæritur autem de applicatione & connexionione huius epiphonematis cum præcedente parabola. Quod applicationem attinet, de ea tres occurrunt sententiæ. 1. Quidam statuunt hoc epiphonema respectum habere duntaxat ad prius parabola membrum, quod agit de vocatione Judæorum. Theophylactus in h. l. *Ostendit Dominus, quod propter Judæos dicta sit parabola, qui vocati quidem suere, non autem electi.* Probari posset hæc sententia ex eo, ut admoneret Judæos, non sufficere, quod sint Dei populus, cui factæ sint promissiones de Messia, quoadque ad cœlestes nuptias divinitus sint vocati, sed requiri insuper, ut vocationem amplectantur & in veste nuptiali veræ fidei compareant, si in numero electorum esse & haberi velint. Omnes enim vel certè plerique auditores, quibus Christus hanc parabolam proposuit, suere Judæi, verisimile igitur est, quod hoc epiphonema Judæorum falsæ persuasioni voluerit oppositum. 2. Quidam vero statuunt, illud respectum habere tantum ad posterius parabolæ membrum de vocatione gentilium. Origen. homil. 20. in Matth. *Si quis considerat multitudinem hominum, quæ in Ecclesiis congregatur, & discusserit quanti sunt, qui conversanter disciplinatur & reformantur novitate sensus sui, quanti autem negligentissimè conversantes, conformantes huic seculo, videbit, quia verus est sermo Domini dicens: Multi vocati, pauci autem electi.* Augustinus in lib. contra Donat. post collat. cap. 20. *Dominus in eodem ipso uno, quem ex convivio projici jussit, multam societatem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores boni in convivio Dominico vivunt,*

significare non distulit, continuo subjungens: Multi enim vocati, &c. Potest hæc sententia probari ex particula *quod*, quæ hoc epiphonema cum membro proximè præcedente conjungere videtur. Rationem enim Christus in eo reddit, quare postremam hanc partem de eo, qui in nuptiis sine veste nuptiali deprehensus, & propterea ex convivio relegatus, prioribus subjungere voluerit, nimirum ut ostenderet, ex gentibus ad Ecclesiam vocatis & Ecclesiæ societati sese aggregantibus multos non fore in electorum numero nec salutis aternæ participes. Judæos plerosque omnes vocationem ad regnum Messia repudiare, ac proinde etiam à gaudiis nuptiarum cœlestium exclusos esse in prima parabola parte docuerat, consequens erat, ut doceret etiam ex gentibus, quæ magno numero Ecclesiæ Christi se associatura erant, multos fore reprobos ob vestis nuptialis carentiam, & quia unicum duntaxat in parabola nominaverat, ideo plurimos huic similes, adeoque omnes hypocritas Ecclesiæ societati admixtos in eo intelligi declarat, subjiciens: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Idem videtur probari posse ex scopo huius epiphonematis, quo & tacite Judæorum objectioni, quasi Deus promiscuè omnes gentes fidem in Christum professas ad salutem admittat, & falsæ gentilium persuasioni, quasi sola & nuda fidei professio ad salutem sufficiat, Christus occurrere voluit. Juxta hanc expositionem per vocatos in verbis Christi intelligendi essent, non tantum vocati ratione termini à quò, videl. Dei vocatis, qui quovis modo ad nuptias vocati, ad eas tamen venire contemserunt, sed etiam ratione termini ad quem, ipsorum scilicet vocatorum, qui vocationem acceptarunt, qui fidem in Christum professi sunt, & ad nuptias venerunt, hoc est, externæ Ecclesiæ societati sese associarunt, qui cum videri potuissent omnes esse electi, ideo Christus pronunciat paucos ex illis electos esse, ut quemadmodum ex prioribus venire recusantibus nullos, ita ex his vocationem recipientibus paucos electos esse doceat. 3. Sed rectius statuunt, hanc conclusionem non tantum ad prius membrum de vocatione Judæorum, nec tantum ad posterius membrum de vocatione gentium, sed ad totam parabolam esse referendam, quippe in qua ostenditur, multos quidem ad nuptias regias fuisse vocatos, paucos vero huic vocationi locum dedisse ac venisse, quinimo in illis, qui ad nuptias venerunt, non omnes esse electos. Lyranus h. l. *Multi sunt vocati per fidem Catholicam, pauci vero electi ad gloriam.* Carthusianus h. l. *Multi sunt vocati ad nuptias Ecclesiæ militantis, pauci sunt electi ad nuptias Ecclesiæ triumphantis.* Probatum hæc sententia tum ex argumentis utriusque sententiæ modò adductis, tum ex modo loquendi, quia Christus non dicit, multi sunt, qui venerunt ad nuptias & mensæ accubuerunt, sed in genere pronunciat, multi sunt vocati. Jam vero non illi solum vocati erant, qui ad nuptias venerant, sed etiam qui venire recusaverant, quin & servos vocantes occiderant, tum ex re ipsa, quia causa huius rei, quod pauci sunt electi, non tantum quaerenda est in eo, quod multi ad nuptiale venientes vestimento nuptiali careant, sed etiam in contentu vocationis & gratiæ per vocationem

nem oblata. Connexionem hujus epiphonematis cum parabola precedente Calviniani statuunt eam, quod Christus illud subicere voluerit ad explicandam causam supremam, quare hic hypocrita ejectus fuerit, quam esse dicunt arcanam illam Dei voluntatem, quæ ex absoluto decreto constituerit quosdã duntaxat, absolute scilicet electos, efficaciter vocare & verã fide donare, reliquis verò ex absoluto odio ipsum rejecisse & reprobasse, atq; ex eo fieri, ut multi quidem sint vocati exterius, quos tamen interiore vocatione, ac fidei & salutis æternæ donatione dignari noluerit. Sed talis connexio & fidei analogiæ & manifestis Scripturæ oraculis & scopo hujus parabolæ fortissimè adverstatur. Quomodo fidei analogiæ & manifestis Scripturæ oraculis absolutum illud, quod fingunt electionis & reprobationis decretum adverstetur alibi latè explicatur, hic præsentis parabolæ duntaxat insistemus. In ea enim causa, propter quam pauci sint electi, non statuitur in absoluto quodam Dei decreto, sed in ipsis hominibus. Utrumque membrum Sole clariùs ex parabola demonstrari potest. Quòd Deo non sit tribuenda hujus paucitatis culpa, patet ex omnibus, quæ in hac parabola Deo tribuuntur, quorum primū est, quod nuptias paraverit Filio suo. Per hunc apparatus nuptiarum intelligitur æternum Dei decretum, quod Filius in plenitudine temporis assumere debeat humanam Naturam, eamque sibi personaliter unire, & in ea opus redemptionis absolvere, ut superius ostendimus. Quia enim Deus ab æterno præcivit hominem in perfecta justitia & sanctitate à se creandum, voluntariã & spontaneã in obædientiã legem sibi dandam transgressurū, & hac transgressionem mortem æternam sibi & omnibus posteris attracturum: ideo etiam ab æterno decrevit huic protoplastorum lapsui remedium parare in Christo Mediatore. Hoc æternum Dei decretum liquidò ostendit, Deum non delectari ullius hominis interitu, sed velle & serió quidem velle omnes salvos fieri, omnibus enim decrevit Filium suum Redemptorem mittere, omnibus hanc salutarem medicinam decrevit offerre. 2. Quòd in temporis plenitudine hoc suum decretum executioni dederit, & Filio suo nuptias fecerit, hoc est, miserit eum in carnem, hæ enim sunt personales illæ nuptiæ, de quibus propriè in hac parabola agitur. Hoc Dei opus denuò ostendit, ipsum omnium hominum salutem desiderare, ac neminem ex absoluto odio rejecisse. Quia enim Filium suum toti mundo dedit Joh. 3. vers. 16. ideo in Filio salutem toti mundo obtulit. Quia ratione assumptæ Naturæ humanæ Filius est omnibus hominibus ὁμοῦστος, ideo neminem eorum absoluto odio Deus prosequitur, sed omnes vult beneficiorum ipsius participes fieri. 3. Quòd Filium suum in mortem pro omnibus hominibus tradiderit, Rom. 8. v. 32. Ostendimus enim superius per tauros & altilia mactata in hac parabola mysticè significari passionem & mortem Christi. Is mactatus est in ara crucis, ut omnia pararet, quæ ad nuptialis hujus convivii festivitatem requiruntur. Jam verò ex manifestis Scripturæ dictis Solis radiis scriptis constat, Christum pro omnibus hominibus esse passum & mortuum Rom. 5. 8. 2. Cor. 5. v. 14. 1. Tim. 2. v. 6. Hebr. 2. v. 9. &c. ipsa proinde passio & mors Christi evidens est testimonium, quod Deus serió velit omnes cælestis

convivii gaudiis in hac & futura vita perfrui. 4. Quod genus humanum propter cognationem illam cum assumptæ humanæ Filii sui Naturæ ad participationem beneficiorum & consortium æternorum gaudiorum vocaverit, illud enim per vocationem ad nuptias Filii in hac parabola intelligitur. Jam verò quibus Deus in vocatione & per vocationem beneficia Filii sui offert, illos non reprobat ex absoluto quodam odio. Ergo ex ipsa etiam vocatione colligitur, Deo non esse tribuendã hujus rei, quod scilicet pauci sint electi, causam, aliàs electio opponeretur vocationi, ac Deo tribueretur damnabilis hypocrisis, quod voluntate signi & externã illos ad nuptias vocet, quos voluntate beneplaciti & internã ex nuptiis exclusos absolute velit. Probè verò notandū, quomodo illa vocatio ad nuptias in hac parabola describatur, ut eò manifestius fiat, causam paucitatis electorū ipsis vocatis tribuendam. Describitur vocatio illa hoc modo, quod sit & universalis & seria, ut superius etiam monuimus. Universalis est, quia est omnium populorum, temporū & locorum. Quòd sit omnium populorum, patet ex eo, quia Deus vocare dicitur Judæos & gentes, in quas classes totum genus humanum distribuitur. Quòd sit omnium temporum, elucet ex eo, quia in Nov. Test. vocare jubet invitatos, hoc est, quibus jam ante in Veteri Testamento promissiones de Messia dederat, ac vocat distinctis vicibus, in posteriore enim vocatione denunciari invitatis mandat, tauros & altilia esse mactata, hoc est, per mortē Messie omnia parata, vocat ergo tempore V. & N. Test. vocat ante & post passionem ac resurrectionem Christi. Quòd sit omnium locorum, ex eo conspicuū est, quod servos ablegat non solum ad cives, sed etiam jubet eos exire ad exitus viarum, & congregare quoscunq; & quocunq; loco eos invenerint. Huic universalitati vocationis minimè adverstatur, quod multi dicuntur vocati, præterquam enim, quod vox multorum in Scripturis sæpius universaliter accipiatur pro omnib; Dan. 12. 2. Rom. 5. 19. &c. quia omnes reverã sunt multi & magnam multitudinem constituunt, notandum, est, quod Christus hic loquatur de actuali & publicã illã vocatione, quæ sit per prædicationem Evangelii, quam non contingere omnibus omni tempore & loco facile concedimus, interim tamen causa hujus rei non est tribuenda Deo, sed ipsis hominibus, qui vel propria vel majorum suorum culpã thesaurum verbi divinitus sibi concreditum amiserunt. Deus enim tribus distinctis vicibus totum genus humanum per verbum ad regni sui consortium vocavit, videlicet in Adamo post lapsum, in Noacho & filiis ipsius post diluvium & per Apostolos post Messie adventum; & qui prædicatione verbi suã vel majorum culpã destituuntur, illos nihilominus adhuc vocat per vocem Naturæ, per stimulos conscientie, per famam Ecclesiæ in illustri loco constitutæ, ut alibi plenius demonstratur. Quòd autem hæc vocatio Dei sit seria, manifestè patet ex eo, quod irascitur venire recusantibus, & contemptum vocationis suæ graviter punit, ex eo igitur victum nobis nascitur argumentum. Si Deus omnes homines serió vocat ad regni sui consortium, utique neminem eorum ex absoluto quodam odio rejecit. Sed verum prius. Ergo & posterius ac per consequens causa hujus rei, quod pauci sint electi, non potest Deo tribui

tribui. Nec prætermittendum illud, quod convivas ad nuptias vocaverit per *servos*, hoc est, per ministros Ecclesiæ. Quicquid ergo illi in vocatione juxta præscriptum verbi agunt, illud vult habere ratum & gratum. Jam verò ministri Ecclesiæ prædicant Evangelium omni creaturæ Marc. 16. v. 16. *docent omnes gentes Matth. 28. v. 19. corripunt omnem hominem & docent omnem hominem Coloss. 1. v. 28.* idq; ex præscripto ipsius Christi. Proinde Deus hoc vult habere ratum & gratum, adeoq; per hos suos ministros omnibus offert Evangelii verbum, in verbo Evangelii beneficia Filii sui, in Filio suo vitam & salutem æternam, quomodo ergo certos quosdam homines, imò maximam totius humani generis partem ex absoluto odio rejecisset? 5. Quod omnibus ad nuptias Filii sui vocatis gratis offerat *vestem nuptialem*, quâ possint dignè in his nuptiis comparere, ut superius ostendimus. Per ipsam vocationem & per verbum vocationis medium vult esse efficax in cordibus hominum ad conversionem, illuminationem, regenerationem, justificationem, renovationem & sanctificationem, quæ omnia per vestem nuptialem certo modo ac respectu intelligi possunt. Quod si ergo hæc omnia per Spiritum Sanctum in cordibus vocatorum efficere cupit, utique ipsi non potest tribui culpa, quod quidam destituantur veste nuptiali & propterea abjiciantur in æternas tenebras, hoc est, quod non sint ex numero electorum. Ut autem per verbum Evangelii in vocatis vult fidem accendere, ita quoq; eandem ex gratia per idem mediū vult augere & conservare, ac proinde, quod quidam nuptialem veræ fidei vestem amittunt, ejus rei culpa itidem non potest nec debet ipsi tribui, sed ipsimet vestem ex gratia sibi datam spontè abjiciunt, & propterea è convivio nuptiali merentur exturbari. 6. Quod non prius irascatur, nec mittat exercitus suos ad perdendum & incendendum, nec prætermittit prioribus, alios ad nuptias vocet, quàm vocati venire recusaverint, servos vocantes interfecerint, ac seipos regis nuptiis indignos fecerint; quodq; convivam non prius è nuptiis expelli jusserit, quàm inventus fuerit vestem nuptialem abjecisse, ex eo enim manifestum est, exclusionem à regis hisce nuptiis non nisi à *consequente & judiciaria Dei voluntate* dependere, per quam ob pertinacem vocationis contemptum, & ob perseverantem incredulitatem eos à salute excludit, quos *voluntate suâ antecedente salvare* voluit & media salutis ipsis obtulit. Act. 13. v. 46. *Quia vos ipsos judicatis vitâ æternâ indignos, ecce convertimur ad gentes.* Hæc omnia luce meridianâ clariùs testantur, causam hujus rei, quod *pauci sint electi*, non esse quærendam in absoluto quodam Dei decreto. Quod verò in *ipsis hominibus* causa hujus rei unicè quærenda sit & statuenda, Christus itidem in hac parabola docet, in qua quatuor hominū genera nobis proponit, qui propriâ suâ culpa cœlestiū nuptiarū gaudiis excluduntur. Primò quidam *nolunt venire*, hoc est, sunt Epicuræi contemptores, reluctantes divinæ vocationi & operationi, qui in peccatis voluntariis contra conscientiam & in erroribus ex verbo monstratis & agnitis securè malunt pergere, quàm *charitatem veritatis recipere* & per veram pœnitentiam ad Deum converti. 2. Quidam sunt *ἀμελεῖσάντες venire negligentes*, qui terrenas opes, honores & voluptates sectantur,

eorumque studio à nuptiis cœlestibus abducuntur, in quibus semen verbi per fallaciam divitiarum & curas hujus vitæ suffocatur. 3. Quidam sunt *persecutores*, qui non contenti vocationem repudiare, ministros vocantes insuper rabiosorum canum instar adoriuntur, mala multa ipsis ingerunt & vitam eripiunt illis, per quos à morte liberari poterant. 4. Quidam sunt *hypocritæ*, qui ad nuptias quidem sese sistunt, hoc est, non sunt manifesti contemptores nec persecutores, sed conjungunt se cœtui sanctorum, interim tamen vestem nuptialem vel recipere renuunt vel receptam iterum abjiciunt, hoc est, destituuntur verâ & vivâ fide, quæ per charitatem & studium bonorum operum efficax est, oculis hominum duntaxat, non autem Dei cordium & renum scrutatoris sese probant; sunt in numero *vocatorum* & comparentium inter vocatos, sed non faciunt officium *electorum* quod est in Christum credere, per sanctam vitæ conversationem fidem demonstrare & in fide usque ad finem vitæ perseverare. Hi omnes seipos faciunt beneficiis & gaudiis nuptiarum cœlestium indignos, ad quas gratuitâ Regis cœlestis benignitate æquè ac reliqui invitati fuerant; ut perpetuò verum maneat oraculum illud divinum Ose. 13. v. 9. *Ex te perditio tua, ex me autem salus tua.* Hæc ergo omnia ad nostrum convertamus usum, 1. *theoreticum*, ut periculosis opinionibus de absoluto electionis & reprobationis decreto, de distinctione inter voluntatem signi ac beneplaciti, de electione propter prævisa opera, de meritis operum nostrorum, de dubitatione gratiæ & perseverantia, &c. ea opponamus. Si enim Deus *omnes vocat* & beneficia Filii sui in verbo Evangelii omnibus offert, utiq; neminem ex absoluto odio reprobavit. *Si seria est vocatio*, utique non est cogitandum, quod quosdam vocet duntaxat voluntate signi & externâ. *Si gratuita* est tum vocatio tum electio, utique non est facta propter prævisa opera. Si nostra salus ex gratuita Dei electione dependet; Ergo non contingit propter merita operum nostrorum. Si electio *non excidit*, ergo verè in Christum credentibus non est dubitandum de Dei gratiæ & fidei perseverantia. Cum primis verò evidens hic habetur testimonium, quod electio propriè sic dicta non sit universalis, cum in eo ipso à vocatione distinguatur, quod *multi quidem sint vocati, pauci verò electi*. Distinctio inter *ἐκλεκτός* & *ἐκκληθεῖς*, quâ hujus dicti claritatem obscurare nituntur, destituitur Scripturæ suffragio, quippe quæ his vocabulis indifferenter utitur Matth. 13. vers. 30. propter *ἐκλεκτός* ὁὗς ἐξελέξατο ὁ Θεός 1. Corinth. 1. vers. 27. Quæ stulta sunt mundi, *ἐξελέξατο ὁ Θεός.* 2. *Practicum*, ut vocati ad cœlestes nuptias promptè compareamus, nimium terrenorum studium & præpotenter eorū amorem excutiamus, servos vocantes ut Dei Legatos honoremus, vestem nuptialem puram & immaculatam servemus, inque prandio nuptiali, hoc est, in Ecclesiæ militantis consortio ita nos geramus, ut ad cœnam nuptialem, hoc est, ad Ecclesiæ in cœlis triumphantis societatem admittamur, quod futurum, si verè in Christum credamus, fidem nostram per opera demonstremus & in fide usque ad finem perseveremus; quâ ratione vocationem & electionem nostram firmam facere poterimus 2. Petr. 1. vers. 10. *virtute enim Dei per fidem*

fidem custodimus in salutem. 1. Pet. 1. v. 5. *Non quidem nos ipsos eligere possumus, uti Theophylactus in hoc loco statueret videtur: Dei est vocare, inquit, electos aut fieri vel non nostrum, est, cui ad versatur illud Christi Joh. 15. v. 16. non vos me elegistis, sed ego vos elegi:* interim tamen virtute gratiæ prævenientis, operantis, cooperantis & subsequenter per prædicationem Evangelii ad fidem electorum propriam Tit. 1. v. 1. pervenire & in ea perseverare, atque ab iis, quæ fidem excutiunt, nobis temperare possumus, non quidem nostris liberi arbitrii viribus, sed per gratiam Christi, qui est ἀρχηγός καὶ τελευτήτης: fidei nostræ Hebr. 12. 2. quam per certa media divinitus constituta in nobis accendit, auget & conservat, in quem sensum Theophylacti verba accipi possunt vel certè debent. Neque enim hoc sine paucos Christus docuit esse electos, ut fiduciam divinæ gratiæ & spem salutis æternæ nobis excu-

teret, sed ut hypocrisis & carnali securitati occurreret, adeoque veterum animis nostris excuteret, ac nos admoneret, ut nos ipsos probemus, an simus in fide, ac cognoscamus nos ipsos, quod Christus Jesus in nobis sit, nisi forte reprobi simus 2. Cor. 13. v. 5. Denique quia pauci sunt electi, hoc est, quia verorum & vivorum Ecclesiæ membrorum cœtus est exiguus Esa. 1. v. 9. Zephan. 3. v. 12. Luc. 12. v. 32. &c. ideò veritatem & pietatem non aestimemus ex multitudine, nec sequamur vel in fidei confessione vel vitæ conversatione multitudinem tanquam fidei & vitæ regulam, sed contententes intrare per angustam portam Matth. 7. vers. 13. Luc. 13. vers. 24. cum timore & tremore operemur salutem nostram Philip. 2. vers. 12. in Christo salvatore nostro, in quo electi sumus ad salutem ante facta mundi fundamenta Ephes. 1. vers. 4. cui cum Patre & Spiritu sancto sit laus, honor & gloria in secula.

CAPUT CLIV.

CHRISTUS AD CAPTIOSAM PHARISÆORUM QUÆSTIONEM DE CENSU CÆSARI DANDO PRUDENTER RESPONDET. MATTH. 22. VERS. 15. MARC. 12. VERS. 12. LUC. 20. VERS. 20.

RATIO ORDINIS.

Seriem connexionis Matthæus ostendit per particulam τότε, quam parabolæ de nuptiis filii Regis subjicit, ac per eandem Historiam colloqui de censu Cæsari dando parabolæ illi immediatè conjungit, neque quidquam apud reliquos Evangelistas occurrit, quod huic colloquio præmitti debeat, sed omnes in eo consentiunt, quod quæstio de censu prius à Pharisæis Christo sit proposita, quàm quæstio de resurrectione mortuorum à Saducæis. August. lib. 2. de conf. Evang. cap. 72. *Hæc duo Domini responsa, unum de nummo propter tributum reddendum Cæsari, alterum de resurrectione propter illam mulierem, quæ septem sibiimet succedentibus fratribus nupsit, Marcus & Lucas similiter narrant, nec in ordine aliquid discrepant. Post parabolam quippe illam de conductoribus vineæ & de Judæis preparantibus insidias, in quos dicta est, quam omnes tres commemoraverunt, præmittunt hi duo, Marcus & Lucas, parabolam de invitatis ad nuptias, quam solus Matthæus interposuit, & cum illo jam sequuntur, narrantes hæc duo de tributo Cæsaris & de muliere septem singillatim virorum, eodem proorsus ordine sine aliqua repugnantia quæstionè. Particula verò illa connexiva ostendit non solum tempus, quod illo ipso die, quo Christus præcedentes tres parabolæ (de duobus filiis in vinea ingratis colonis elocata, & de nuptiis filii Regis) proposuerat, videlicet feriâ tertiâ, sive ut hodie loquimur, die Martis, post Dominicam Palmarum, sicque triduo ante passionis diem hæc quæstio à Pharisæis fuerit mota, sed etiam causam impulsivam motæ quæstionis. Matthæus enim parabolam de vinea ingratis colonis elocata his verbis conclusit: Cum audissent Principes Sacerdotum ac Pharisei parabolam ejus, cognoverunt, quod de se diceret, & que-*

rentes illi manus injicere, timuerunt turbas, quoniam tanquam Prophetam cum habebant Matth. 21. vers. 46 quod ipsum repetunt Marc. cap. 12. vers. 12. & Luc. cap. 20. vers. 19. Causa igitur ὁσσην, ἡμῶν ἰmpulsiva interior & antecedens captiosæ & periculose hujus quæstionis à Pharisæis Christo propositæ fuit immane ipsorum contra Christum odium & Diabolicum studium è medio ipsum tollendij; causa ὁσσην, ἡμῶν exterior ipsius in docendo & arguendo libertas. Tres illas parabolæ contra se directas maximam interpretabantur injuriam, quod coram omni populo tam liberè ipsos redarguere non fuerit veritus, ideò vindictam meditabantur. Christus perditionem & exitum ipsis prædixerat, ipsi igitur cogitant antevertere, & hunc exitii & perditionis præconem perdere, ne molestus ipsis porro esse pergat. Hæc connexionis series de multis nos monere potest, utpote 1. de odio Satane contra Christum capitis sui contritorem. Tota quidem Christi in his terris vita temptationibus organorum ejus perpetuò fuit exposita, quia consummata omni temptatione in deserto Diabolus recessit ab eo ad tempus tantum Luc. 4. vers. 13. ac constat ex Evangelica Historia, Christum modò Herodis, modò Nazarethanorum, modò Pharisæorum insidias fuisse expertum, nunquam tamen acrius contra ipsum insurrexerunt hostes, quàm sub ipsum vitæ terminum, quod dubio procul ex instinctu infernalis serpentis calcaneo Christi dentes suos insipientis factum. A die Palmarum usque ad mortem crucis vix dum quinque dies intercesserunt, qui nihil aliud quàm perpetuas Christo factas insidias, oppugnationes & tentationes exhibent, modò enim fraudulentia operatâ, modò violentia apertâ hostes ipsum sunt aggressi